



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacrae Theologiae Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiae Ad Mentem Scoti Cursvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Disputatio XXI. De Mundo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

teretur quando descenderet corpus à loco magis alto; & tamen quod descenderet à loco magis alto, moueretur velocius: ergo signum est quod motus velocitas maior non proueniat à minori resistentia orta ex longiori motu.

20 *Communia sententia*

tenet velocitatem maiorem prouenire ex impulsu aëris succedentis graui decedentis: succedit enim ipsi cum aliquo impetu iuxta proportionem motus ita, ut quo velocius mouetur, eo maiori impetu succedat; unde quia prima pars aëris succedens impellit ultra, quam per naturalem virtutem descenderet, sit ut succedente illa parte velocius moueatur, quam incipiat moueri, & quia tum velocius mouetur, succedit alia pars, cum maiori impetu, & cogit ad velociorem motum, & ita deinceps usque in finem.

Relicuitur

Contra hanc tamen sententiam facit primo, quod non appareat maior motus in aëre in fine, quam in medio; nec etiam apparet quomodo possit esse talis impulsus ab aëre, nam non fit ab aëre antecedente, potius enim ille resistere deberet: nec ab aëre sequenti, quia cum sit in loco naturali, non debet grauitare nec impellere corpus sub se positum: nec ad impediendum vacuum id est necessarium, sufficit enim ad hoc quod subsequatur immediate absque huiusmodi impulsu. Adde, quando nos ipsi cadimus non sentire nos impulsu aëris subsequenteris; quem tamen si daretur, deberemus sentire, sicut sentimus impetum venti impellentis nos à tergo, qui tamen non impellit tantum, quantum supponitur impellere aer prope finem graui decedentia.

Confirmatur: quia motus aeris non est verisimiliter tam magnus etiam impulsus, ac ventus valde vehemens: sed certe ille ventus non posset impellere tantum quantum impellitur graue in fine motus longi, ergo ille impulsus non oritur ex aëre.

21 Hæ sunt præcipuæ, quas de hac re reperio sententias, quarum nulla non caret sua difficultate; nec ego aliam faciliorem inuenio: unde ex hoc ipso potest assumi argumentum ad probandum quod motus non sit velocior in fine.

At si quis tamen velit ex his dicendi modis scire, quem putem faciliorem;

Respondet mihi, faciliorem esse illum, quo dicitur quod moueatur velocius, quia producant in se ipsis quali aatem aliquam impellentem, aut quia producant in ipsis qualitas resistens motui; quod colligi potest experientia & finis eius erit ut eo modo expellant maiori impetu corpora distantiora ob beneficium vniuersi. Vltima etiam sententia ob auctoritatem probabilis censeri debet: & quia non absolute resolutio hanc questionem quoad hanc partem, propterea non propono Conclusionem.

Cum pro
iecta mi-
nus velo-
ci, et mo-
uentur
post me-
dium.

22 Nunc soluenda est quæstio quoad secundam partem & dico rationem esse cur proiecta minus velociter mouentur post medium quam in medio, quia usque ad medium qualitas impressa ipsis non remittitur, tum autem incipit remitti. Ideo autem velocior in medio, quam in principio, (si tamen ita fiat) quia ipsum proiectum habet virtutem productiuam impulsus in se ex suppositione quod impellatur ab extrinseco, & hoc paulatim donec remitti incipit virtus ipsi impressa ab illo extrinseco, vel quia (ut communius tenetur conformiter ad vltimam sententiam de prima parte) quo velocius mouetur per impulsu, eo magis impellitur ab aëre seruata simili proportionem, qualis seruatur in motu grauis deorsum.

Quæri hic solet, an elementa grauentur in locis proprijs: sed commodius tractabitur hæc quæstio in disputatione de Elementis. Vnde hæc sufficiant de octo libris Physicorum, ad primi Motoris, ad quem indagandum potissimum compositi sunt, honorem, & gloriam. Amen.

LIBRI DE COELO ET MVNDO.



Quæ utiliora sunt, & magis indigent examine in quatuor libris, quos de Cælo & Mundo scripsit Philosophus, quorumque obiectum adæquatum, seu attributionis est, vel vniuersitas rerum omnium de facto repletarum intra superficiem conuexam Cæli supremi; vel corpus simplex commune Cælis, & Elementis terrestribus; vel Cælum ipsum, quæ controuersia parui prorsus momenti est; hic paucis disputationibus eo apprehendere placuit, easque numero cum præcedentibus connectere.

DISPUTATIO XXI. DE MVNDO.



Præter Mundum, qui & græce Κόσμος dicitur, vniuersitas rerum omnium præsertim corporearum intelligitur, quæ inter se ordinem quendam habent ac sub ordinati nem, absque subordinatione, aut depedentia ab alijs corporibus, quæ extra illam vniuersitatem, seu multitudinem collocata essent. Dixi, ordinem quendam, ac si subordinationem habent: quia multitudo rerum, quæ non haberent huiusmodi ordinem, chaos potius, quam mundus appellari deberet; tum etiam quia si non caperetur hoc modo, non posset esse quæstio de pluralitate mundorum, quia absque dubio impossibilis esset; nam plures, qui ex cogitatione mundi, vnicam vniuersitatem rerum omnium corporearum facerent, atque adeo essent necessarius vnus mundus: Dixi etiam absque depedentia ab alijs corporibus, aut subordinatione ad illa, quia alias potuisset vocari mundus collectio creaturarum omnium sublunarium, & collectio etiam creaturarum celestium posset vocari alius mundus, atque adeo de facto, posset dici dari duos mundos; vtraque enim collectio est rerum corporearum inter se bene dispositarum.

QVÆSTIO I.

An Mundus sit vnus.

Si caperemus Mundum pro vniuersitate omnium rerum corporearum, quæ de facto fuerint, sunt, & erunt, ce tum est mundum esse vnum: illa enim vniuersitas est vna; posset tamen in hoc sensu dari alius mundus, quia alia vniuersitas rerum posset esse. Item si caperemus mundum pro vniuersitate omnium rerum corporearum possibiliu, adeo mundus esset vnus, ut nec essent plures possibile, quia extra vniuersitatem rerum corporearum omnium, aliæ res non essent, ex quibus conflare posset alius mundus. Itaque controuersia hic examinanda est, an de facto præter vniuersitatem rerum omnium corporearum contentarum sub summo Cælo, detur alia rerum vniuersitas extra summum Cælum; aut an sit possibilis talis vniuersitas: si enim detur, de facto plures dantur Mundi: si non detur, sed sit tamen possibilis, non dantur de facto, sed sunt possibile plures mundi.

CONCLUSIO.

De facto vnus tantum est mundus; sed plures sunt possibile. Prima pars est communis cum Philosopho. Secunda etiam pars est communis, sed videtur esse contra Philosophum, & Platonem etiam in Thymæo. Probat Philosophus primam partem tribus rationibus, quibus etiam ad negandam inducebatur secundam partem.

2 Prima ratio est: si darentur plures mundi, terra vnus mundi moueri deberet naturaliter ad vnus cuiusque mundi centrum, sicut terra huius mundi de facto ad eiusdem mouetur centrum: sed hoc non solum inconueniens

Vnus mundus datur de facto: plures sunt possibile.

Probatio- nes Philo- sophi.

niens est, sed prorsus implicat naturaliter: ergo nec datur nec dari potest pluralitas mundorum.

Secunda ratio est, quod mundus hic noster contineat omnem materiam possibilem: ergo nequit dari alius mundus constans saltem rebus materialibus.

Tertia est, quod sit tantum vnus primus motor: ergo vnum tantum primum mobile, & consequenter vnus mundus.

Verum hæ rationes parum aut nihil concludunt, nec tanti Philosophi ingenio dignæ videntur.

Respondetur enim facillime potest ad primam negando maiorem: cur enim terra huius mundi, ad centrum alterius nullam cum eo connexionem aut subordinationem habentis, moueri deberet?

Ad secundam negatur antecedens: & sane si contineret omnem materiam possibilem, deberet constare infinita materia, quod est contra ipsum Philosophum mundo huic limitatos tribuentem fines.

Ad tertiam negatur consequentia, non obstante enim vno primo motore, possunt dari plura prima mobilia non subordinata inter se, quorum quodlibet in suo mundo esset primum.

3. *Melius ergo probatur prima pars*, quia existentia rerum vllarum non debet asseri absque aliqua ratione à priori aut posteriori aut experientia, aut autoritate, sed nulla est ratio, aut experientia, aut autoritas magni faciendi, vnde colligatur existentia alterius mundi, imo est autoritas omnium fere Philosophorum in contrarium: ergo non debet asseri.

Confirmant aliam: quia poterat Deus omnes creaturas corporeas in vnico mundo collocare: ergo non debebat ad plures mundos recurrere.

At hæ confirmatio est dissilis: quia si loquatur de hoc mundo, qui de facto existit, id omnino falsum est: nam alius mundus eiusdem magnitudinis, & formæ qui possibilis est, non poterat intra hunc mundum contineri. Si vero loquantur de alio mundo maiori.

Contra est, quia quamuis in eo possent creaturæ alterius mundi, qui de facto diceretur existere, contineri; tamen quia ille de facto non est creatus, non lequitur quin de facto sit alius mundus ab hoc nostro distinctus. Deinde non est vllus mundus finitus tam magnus, cui non possit alius mundus æqualis creari, qui propterea intra terminos istius mundi quantumvis magni non posset contineri. Rursus Sol, Luna, Stellæ alterius mundi non possent intra vnum mundum, in quo essent aliæ similes, tam bene collocari.

Confirmant secundo, quia cum Deus ipse vnus sit, congruum erat vt opificium eius esset vnum. At hæ congruentia non est magni momenti: posset enim aliquis dicere non magis congruum esse vt opificium Dei esset vnum ad habendum aliquam proportionem cum Deo, quoad vnitatem, quam quod esset multiplex ad ostendendam ipsius omnipotentiam. Deinde cur esset necesse vt opificium totale Dei deberet habere proportionem vllam in vnitatem cum Deo?

Probat secundam pars conclusionis: quia in hoc nulla prorsus est repugnantia; quo argumento melius haberi non potest ad probandas similes conclusiones. Philosophus autem, qui sensit contrarium huius partis, valde leuibus, & erroneis ad id adducebatur principijs; vt propterea in hoc non sit curanda eius autoritas.

4. *Quæres* quam vnitatem habet hic mundus noster in se.

Respondetur non nisi vnitatem ordinis & subordinationis: non enim vnitatem aliquam per se, aut metaphysicam, cum partes plures eius realiter distinguantur; aut physicam, cum etiam plures partes eius sint secundum sententiam completa: quæ non actuatur alias partes, nec actuatur ab alijs partibus, vt lapides, arbores, homines, elementa: non etiam continuationis, neque enim celi inter se continuantur, nec pisces, cum mari aut alijs partibus, aut homines cum terra aut aere; nec etiam vnitatem mere per accidens, vt patet ex ordine & subordinatione partium mundi; ergo vnitatem ordinis & subordinationis.

5. *Certum est mundum esse perfectum*; nam vt Scriptura ait, *Dei perfecta sunt opera, & vidit Deus mundum, cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Quod non quamcumque mundi perfectionem, sed eminentem aliquam denotat. Et sane multitudo, varietas, pulchritudo, proportio & connexio ordinatissima partium mundi maximam eius perfectionem abunde ostendunt, vt alia id probatione non indigeat. Et quamuis ex monstris, animantibus venenosis ac per se deformibus, infectionibus aeris, terræ motibus, tempestatibus, & similibus posset quis arguere aliquam mundi imperfectionem, vt pote qui sine iis perfectior appareret; tamen, præterquam quod hæc omnia deseruiant ad particulares aliquos fines; cum cauentur à causis naturalibus, quæ si ea carerent virtute, non haberent aliam ad mundi vtilitatem requisitam, perfectioni potius mundi attribui debent quam imperfectioni. *Difficilis ergo hic examinanda est solummodo*, an mundus sit ita perfectus, vt perfectior esse non possit. Quæ difficultas cõuenit in re cum alia in Theologia examinari solita, an Deus teneatur semper facere quod optimum est: si enim teneatur, non poterat perfectius quid facere quam mundum; alias eum faciendo non fecisset quod optimum est: si vero non teneatur, nihil impedit, quo minus posset mundum longe perfectiorem nobis condidisse.

6. *Prima sententia est*, quod non possit Deus perfectiorem mundum facere absolute, & simpliciter, quam quem de facto fabricauit.

Secunda sententia, quod posset Deus absolute perfectiorem mundum facere, sed supposito tamen fine de facto intento, ob quem creauit mundum, quod non potuerit.

Tertia, quod potuerit perfectiorem, etiam supposito fine.

Vt autem clarius soluamus hanc difficultatem, aliquid dicendum videbitur de illa alia difficultate annexa, an scilicet Deus teneatur facere quod optimum est.

Qua in re *Granadus* 1. tract. 2. de volum. Dei disp. 3. distinguit inter duo genera rerum: sunt enim aliquæ res, in quibus assignari potest optimum ex illis, vt v. g. creatio mundi & negatio creationis mundi, redemptio generis humani & non redemptio: aliæ sunt res, in quibus nequit assignari optimum, vt sunt species alicuius generis, in quibus cum sit processus in infinitum, & nulla species assignari possit, quæ perfectior fieri nequit, non potest assignari quid sit ex illis optimum. Dicit ergo hic author, in priori genere rerum Deum non solum semper de facto facere, quod optimum est, sed ad id ex bonitate sua infinita ita inclinari, vt moraliter loquendo oppositum facere non possit, quamuis ad id faciendum potentiam physicam habeat.

Hanc sententiam data opera impugnatur *Lugo* disp. 2. de incarnatione sect. 1.

CONCLUSIO. I.

7. *Deus non tenetur facere, quod optimum est, etiam ex illis rebus, quarum optimum assignari potest.* Hæc est contra *Granadum*, & iuxta communia principia.

Probat *Lugo*: quia potentia physica cum impotentia morali, quam haberet Deus in sententia opposita ad non faciendum optimum, est valde debilis, & arguens libertatem valde limitatam ac imperfectam in Deo: ergo non debet illi poni in Deo, sed potentia physica cum potentia morali. Hoc argumentum fufius prosequitur.

At facile respondetur *Granadus*, licet in sua sententia magis limitata libertas in Deo poneretur in ordine ad non faciendum optimum, tamen hoc non arguere imperfectionem, sed potius perfectionem, in Deo, præsertim cum radix eius sit summa bonitas ipsius; & sicut nos sumus in statu perfectiori, quando habemus gratiam efficacem moraliter determinanter nos ad bonum, quam quando non habemus ipsam, sed essemus eque indifferentes ad bonum, & malum absque gratia ad bonum inclinantem.

citāte, aut tentatione ad malū, quāvis tum magis limitatā haberemus libertatem: ita Deus posset dici quantum ad hoc esse in perfectiori statu, quando esset mor liter determinatus, præsertim ex perfectione sua intrinseca ad optimum, quāndo non esset, sed esse potius a quo e indifferens ad maius bonum, & minus bonum.

Probat secundo, quia Incarnatio de facto, si non fuisset peccatum secundum *Thomistas*, & recentiores, quos ipse *Granadus* sequitur, non poneretur à Deo, si duntum esset æque excellens, & bona, ac est de facto, & sine dubio melior quam non incarnatio: ergo falsum est quod Deus necessitetur ad optimum in sensu *Granadi*.

Hæc etiam ratio non valet, quia licet secundum se, Incarnatio esset æque semper bona, & melior quam negatio eius, sicut quodlibet positivum est melius physice & secundum se, quam negativum ipsius; tamen *Granadus* negaret Incarnationem esse meliorem in ordine ad manifestandum gloriam Dei, aut aliam finem quem Deus haberet, casu quo non esset peccatum, nec oppositum probat *Lugo*, quod tamen deberet facere, ut hæc probatio haberet vim.

8 *Probat tertio*, quia si Deus necessitaretur moraliter ad ponendam Incarnationem post peccatum, aut ad faciendum quod optimum est, frustra oraret quis Deum ut incarnaret Filium suum, aut ut faceret illud, quod optimum est, & sic omnes nostræ orationes saltem pro maiori parte essent inutiles, præsertim quantum ad doctos, qui cognoscunt Deum moraliter necessitari ad id quod optimum est. Huc tendit totus discursus huius *Autoris* nunc.

11. Addidi autem ipse, præsertim quantum ad Doctes, quia quantum ad indoctos, licet frustra esset eorum oratio quantum ad assecutionem finis intenti, non tamen quantum ad meritum orantis, ut patet in oratione, quam facimus pro animabus, quæ damnata sunt, sed quarum damnatio nobis non constat.

Confirmat Lugo hanc probationem verbis Christi Marc.

14. Omnia tibi possibilia sunt, transfer à me calicem hunc: ubi Christus præmittit omnia possibilia Deo, & rogat pro translatione passionis, quæ tamen melior erat, quam quod liberaretur ab illa.

Responderet Granadus multa esse, quæ secundum se non essent melius cuiquam facere, sed essent tamen, ex suppositione intercessionis aut orationis alicuius: sic quāvis non esset melius alicui non castigare servum quā castigare, nisi intercederet amicus oratio; esset tamen melius intercedente amico non castigare ipsum, unde quāvis ille teneretur ad optimum, amicus tamen non frustra intercederet, quia intercessione sua faceret optimum, quod alias non esset optimum. Et hinc in forma *respondetur* ad hanc probationem distinguendo sequelam: si incarnatio esset optima aut quodcunque aliud quod peccaretur, esset optimum, independentem ob oratione, transferat; si non esset, negatur sequela prima, & etiam secunda, quia deferrentur ad faciendum optimum quod alias non esset optimum.

9 *Ad confirmationem* responderi posset quantum ad possibilitatem omnium rerū, quæ adscribitur Deo, eam si de morali intelligatur, extendendam ad res illas omnes, quarum productio non argueret aliquo modo imperfectionem, unde quia productio rei imperfectioris, relicta perfectiori, talem argueret in sententia opposita, propterea illa possibilitas respectu totalis productionis non debet attribui Deo sicut nec etiam possibilitas producendæ revelationis falsæ, aut actus peccaminosi.

Quantum autem ad orationem Christi, habet difficultatem non solum in sententia *Granadi*, sed in sententia ipsius *Lugo*. Nam non magis vtiliter potest aliquis orare pro re aliqua, quam ipse sciret certo non concedendam quam pro re aliqua, ad quā producendam videret causam moraliter determinatam esse applicatam: sed Christus, quā homo sciuit infallibiliter non transferendū calicem; & tamen oravit, & quidem vtiliter: ergo quāvis infallibiliter sciret Deum determinatum moraliter ad non impediendam Passionem, poterat tamen vtiliter pro ea impedienda orare: aut si nō poterat sic vtiliter orare, non

poterat etiam, si vidit Deum determinasse eā nō impedire.

Confirmatur: magis Deus determinatur per decretum, absolutum de non impedienda Passione ad eam non impediendam, quā in sententia *Granadi* determinatur ad id, supposito quod Passio Christi esset optimum, quod Deus posset statuere: ergo magis inutilis esset oratio Christi, si notum esset ipsi istud decretum, quā si notum esset ipsi Deum determinari ex bonitate Passionis. Probatur consequentia: quia inutilitas orationis oritur ex impossibilitate assecutionis finis cognita certo: ergo ubi maior est impossibilitas cognita, minus utilis est oratio: sed ubi maior est determinatio ad unum, minor est possibilitas ad oppositum, & maior impossibilitas, ut patet. Probatur antecedens: quia in sensu composito perfectionis maioris in effectu manet potentia physica ad oppositum effectum minus perfectum: at in sensu composito decreti absoluti non manet nec potentia physica ad oppositum effectum: ergo magis determinatur Deus per tale decretum, quā per perfectionem effectus in sententia *Granadi*.

10 *Quod si dicat*: Christum orasse pro translatione calicis, non ut suberat voluntati absolute Dei de ea ponenda sed secundum se abstrahendo ab illa voluntate, ita, ut sensus orationis esset: transfer à me calicem illum nisi sit talis voluntas absoluta in te: aut ita, ut voluerit significare, quod ipse haberet maximum desiderium transferendæ Passionis, nisi esset illud decretum absolutum.

Quarto, an sic considerata Passione cognoverit ipsam absolute meliorem, an non. Si non cognoverit, tum patet orationem non esse inutilem; si sic: ergo imperfectio nis erat in Christo desiderare, quod prius erat. Possit etiam dici, quod quāvis ex se esset melior, tamen supposita oratione Christi, non esset, & consequenter satis vtiliter poterat Christus orare pro ea transferenda. Sed de hac oratione Christi fufius agendum in materia de Incarnatione.

Probatur quarto: libertas illa tantum physica cum impotentia morali inuoluit multas imperfectiones indignas omnipotentia Dei: sequeretur enim, quod ipse non esset Dominus suarum creaturarum omnium, quia non posset ponere, & non ponere aliquas ex illis, nempe illam, quæ esset optima, & ad quam producendam propterea necessitaretur.

Confirmatur: quia si Deus necessitaretur moraliter ad producendum aliquem mundum, creato ante creationem alius mundi, Angelo, non posset reuelare se non creaturam vllum mundum; quæ tamen reuelatio est creatura possibilis, saltem possibilitate physica: ergo Deus non posset moraliter aliquam creaturam realem possibilem ponere à parte rei.

Confirmatur secundo: quia secundum *Aug. 13. de Trin. cap. 10* potestati Dei cuncta aqualiter subiacent; sed hoc non esset verum, si ex creaturis suis aliquas posset producere, & physice & moraliter; aliquas vero non posset, nisi physice tantum, ut tenet *Granadus*: ergo id non est asserendum.

11 *Hæc etiam probatio non sufficit*; negatur enim antecedens cum sui probatione, sufficit enim ad dominium potestas physica.

Ad primam confirmationem respondeo distinguendo antecedens: physice nego, moraliter concedo: nec est inconueniens in sententia *Granadi*, quod Deus non posset moraliter producere aliquam creaturam physice producibilem, quando productio ipsius impediret productionem creaturæ perfectioris, ut contingeret in proposito.

Ad secundam confirmationem respondet Granadus, æqualiter omnia possibilia subiicere potestati physice, nō tamen morali: & sane in principiis *Augustini*, Deus non posset potētia morali saltē absque culpa punire hominē pēna æterna dānatorū, & tamē illa punitio est possibilis saltem physice: ergo *Augustinus* non debet intelligi in illo rigore, quem præterdit *Lugo*.

Probatur quinto: impotentia moralis in nobis arguit debilitatem potentie nostre: oritur enim ex difficultate faciendi rem physice nobis possibilem, quod est imperfectionis

ctionis: ergo talis non est adscribenda Deo. Hæc est summa probationis adducta ab hoc *Authore* num. 14.

Sed nec hæc etiam sufficit: nec enim in nobis, ut antea dixi, impotentia moralis ad male agendum argueret debilitatem imperfectam, aut imperfectionem, licet talis impotentia ad bonum id argueretur; unde nec in Deo etiam impotentia moralis ad minus bonam faciendum arguit imperfectionem quantum ad hoc; præsertim cum illa difficultas faciendi maius bonum oriatur ex propensione ipsius ad maius bonum, & infinita sua bonitate.

12 *Probat* sexto ad hominem, quia sicut non necessitatur ad productionem mundi perfectissimi, quia ex multis possibilibus non potest assignari optimus, quando quidem possit dari melior, & melior in infinitum: ita etiam necque necessitari potest ad quodcunque optimum, g. ad Incarnationem, quia Incarnatione datur aliud melius medium ad gloriam Dei, & hoc in infinitum.

Sed neque hæc probatio sufficit, quia negari potest sequela, & ad eius probationem dici, quod non detur aliud medium melius, quia Incarnatio aliqua cum aliquo modo; unde sicut aliqua creatio mundi alicuius est optimum medium manifestandi gloriam Dei, quo nullus alius æque bonus aut melior, in quo non involueretur creatio mundi, assignari potest, & consequenter Deus in sententia *Granadi* necessitatur moraliter ad volendum creationem aliquam mundi; non tamen ad volendum ullam creationem determinatam, quia quacunque determinata posset dari alia melior: ita quia Incarnatione aliqua cum aliquo modo non posset assignari melius medium, in quo non involueretur aliqua incarnatio, necessitabitur Deus moraliter ad aliquam indeterminatam ponendam; non tamen ad aliquam determinatam, quia quacunque determinata alia melior assignari potest: quam responsionem innuit, ipsemet *Lugo*, nec sufficienter impugnatur ab ipso.

13 *Probat* ergo conclusio altera: quia non potest assignari, ex quo caritate necessitaretur Deus etiam moraliter ad optimum faciendum: non enim ex bonitate, si ut perfectione maiori ipsius optimi, quia cum sit bonitas finita tantum, non potest habere virtutem allestipia voluntatis infinita Dei; neque etiam ex infinita voluntate, ac bonitate Dei quia hæc non habet ullam proportionem cum obiecto finito, ratione cuius necessitaret sic Deum ad producendum bonum vllum finitum, aliud autem caput, ex quo proficeret illa necessitas, assignari nequit; ergo non necessitatur sic Deus.

Confirmatur efficaciter: quotiescunque causa adæquata alicuius effectus est necessitata, siue moraliter, siue physice ad eum producendum, & sufficienter applicatur ad eum producendum absque vlllo impedimento, producit ille effectus infallibiliter, & si non producit, est signum inefficax, quod causa non sit sic necessitata: sed voluntas divina ante productionem mundi erat causa adæquata productioni mundi, tam bene, ac in tempore productionis, & tunc erat æque bene applicata ad eius productionem, & æque inimpedita; ergo quandoquidem tum non produxit mundum, nec Incarnationem, nec aliquid optimum signum est quod non sit necessitata, nec physice nec moraliter ad eius productionem, sed quod liberrima sit ad eius productionem, tam libertate physica, quam moralis.

Confirmatur secundo: quia non ex maiori perfectione præcisa deberet optimum producere, nec tanquam ex ratione motiva, nec tanquam ex conditione sine qua non; sed alia ratio assignari non potest cur necessitaretur etiam moraliter: ergo. Probat ur minor: quia mundus perfectior mundo de facto existente habet maiorem perfectionem, quam de facto existens, & tamen Deus non necessitatur moraliter ad eius productionem, quandoquidem illum nec produxerit, nec producturus sit.

Dicit, non ex maiori perfectione præcise id oriri, sed ex maiori perfectione, in qua sit status, iuxta responsionem ad probationem præcedentem *Paris de Lugo*.

Contra, quia quod sit ibi status nihil facit ad rem, si enim bonitas infinita non sit inclinata necessario ad volendum bonum perfectius, cur esset necessitata ad bonum finitum

ultra quod non est aliud bonum perfectius, in quo bonitas ipsius non includitur? & si ex eo, quod non sit status in perfectione vlla rerum, sequitur, quod Deus nequeat ad rem perfectissimam producendam necessitari, sequitur etiam inde, quod non necessitetur ad vllum bonum producendum ex maiori perfectione ipsius.

14 *Obiicit primo*: Quisquis aliquem efficaciter & perfecte amat, vult etiam omnem perfectionem, & bonum ipsius, & si necessitatur ad amandum necessitabitur consequenter ad volendum omnem perfectionem & bonum ipsius: sed creatio mundi aliqua, & Incarnatio aliqua, supposito saltem peccato, est maximum bonum Dei extrinsecum, cedunt enim ad magnum honorem ipsius; & præterea amat Deus seipsum necessario amore efficaci & perfecto: ergo necessario vult creationem aliquam mundi, & Incarnationem aliquam, & consequenter quodcumque bonum maximum, in quo est status.

Confirmatur: quia qui homo efficaciter amat seipsum summo amore, vult sibi maxima bona, quæ potest acquirere sibi efficaciter: ergo idem dicendum de Deo.

Respondet, si ex necessitate efficaci amoris al cuius sequeretur necessario voluntas efficax perfectionis maioris eisdem, quando necessitas esset physice respectu amoris etiam talis necessitas esset respectu volendi efficaciter bona quæcumque ipsius, & consequenter quandoquidem Deus necessitetur physice ad suum amorem, sic etiam necessitaretur ad volendum mundum & Incarnationem, quod est contra *Granadum*, & omnes.

15 *Respondet* secundo distinguendo maiorem, omnem perfectionem, & bonum intrinsecum eius, & etiam extrinsecum, sine quo non possent esse bona intrinseca, ut quibus indigeret persona amata, & quæ doleret aut moleste ferret sibi abesse, transeat; bona extrinseca, quibus non indigeret persona amata, & quorum abesse non moleste ferret, sed æque in se perfecta esset ac beata ipsa, quod ideo alia bona vellemus necessitate personæ efficaci etiam tunc, quæ tunc essent media necessaria, vel ad sui esse intrinsecum, vel ad felicitatem & consolationem eius. Minorem autem concedo simpliciter, & nego consequenter, quia illa bona non sunt talia, quibus indiget Deus, nec molestiam ullam capere potest ex eorum absentia: & sane si necessitaretur ad illa volenda ex amore sui, deberet illa velle producere ab eterno saltem quantum ad ea quæ sic producibilia sunt. Hanc responsionem quæ satis est communis, fute proponit *Lugo*, sed hæc abunde sufficiunt.

Ad confirmationem respondet *Lugo* negando antea edes quia peccatores ardentes se se amant & non volunt sibi maiora bona, sed inferiora verbi gratia, bonum delectabile, relicto bono honesto, & bono delectabili temporalia relicta bonis æternis delectabilioribus. Cuius rationem assignat, quod non sit bonitas personæ amatæ trahens ad amorem efficacem ipsius, quæ etiam sola mouet ad volenda alia bona, aut saltem ad volendum hæc bona præ aliis, sed etiam æstimatio & amor aliorum bonorum; unde, quia peccator magis æstimat bonum delectabile temporale, quam bonum honestum, aut delectabile æternum propterea vult sibi à se intensius sine amato bonum delectabile temporale: non vero bonum honestum, aut delectabile æternum procurari.

16 *Contra* quam responsionem ipsemet plures instantias proponit, quas nec sufficienter soluit, & præsertim in responsione ad instantiam quartam coincidere videtur cum principiis *Granadi*, quem impugnat: asserit enim Deum non necessitari moraliter ad volenda sibi perfectiora bona quæ potest: licet beati necessitentur sic ex amore ipsius ad volenda ipsi perfectissima bona, quæ possunt, quia Deus inquit, non habet terminum in bonis quæ sibi posset efficaciter velle: beati vero habent: ergo secundum ipsum ubi Deus haberet terminum in bonis aliquibus, necessitaretur ad optimum ex illis, licet non necessitaretur quando non adesset talis terminus, quæ est expressissima doctrina *Granadi*.

Deinde, quando immediate post, dicit num. 27. beatorum necessitari ad volendum Deo maxima bona, quia necessitari

stantur ad id, quod Deo magis placet, supponit quod maxima bona semper Deo magis placent; alioquin enim non sequeretur, quod beati ad placendum ipsi necessitarentur ad alia maxima bona volenda ipsi: hoc autem suppositum etiam est contra doctrinam quam defendit.

17 *Sed placet respondere melius ad confirmationem*, & non exponere nos difficultatibus huius responsionis absque necessitate.

Respondeo ergo negando consequentiam, & ratio disparitatis est quod homines propterea necessitentur moraliter ad volenda sibi maiora bona proposita sibi, quia illa maiora bona vel redderet ipsosmet moraliter aut physice perfectiores, aut quia presentia ipsorum esset ipsis delectabilis, aut absentia molestia: in Deo autem ita res se non habet, qui propterea bonorum nostrorum non indiget.

Obicit secundo Grandus: ex eo quod creatura emitteret prestare Deo obsequia maiora, conuinceretur non amare Deum perfectissime: ergo necessitaretur ex perfectissimo amore Dei saltem moraliter ad ea prestanda: ergo similiter, si Deus ipse non faceret quae meliora putaret ad honorem suum, conuinceretur non amare seipsum perfectissimo, & summo amore, & consequenter si amat se sic, necessitabitur ad volendum illa maiora bona.

Respondet Lugo primo, negando consequentiam, quia si creatura non prestaret meliora obsequia, non faceret quod magis placeret Deo: Deus autem faciendo etiam minus bonum, facit quod sibi magis placet.

Sed contra, quia, ut dixi antea, eatenus non faceret quod magis placeret Deo, non faciendo meliora bona, quia meliora bona magis placent Deo: sed hoc non est ita, si Deus non necessitetur ad volendum maius bonum, ut patet. Quae impugnatio efficaciter currit, si responsio supponit colligi Deo placere meliora bona ex eo praecise, quod meliora sunt. At si sensus responsionis sit, quod non facerent quod magis placeret Deo, nisi praestarent meliora obsequia, quia Deo de facto magis placet quod faciant illa, non ex eo, quod ad hoc necessitetur, sed quia de facto id libere voluit, ut constat nobis ex consiliis suis propositis in Scriptura, & sanctis Patribus, responsio bona est. Posset autem absolute & simpliciter negari antecedens, loquendo ex natura rei independentem a declaratione vlla voluntatis Diuinae.

18 *Obicit tertio*. Voluntas Diuina debet conformari intellectui Diuino: sed intellectus Diuinus iudicat melius esse velle Deo maxima bona quam minora bona: ergo voluntas Diuina debet velle illa maxima bona.

Respondeo cum communi sententia negando minorem, loquendo de ipsa volitione Diuina, quatenus intrinseca est Deo. Quod si loquamur de volitione Diuina ex parte obiecti ita, ut sensus sit, quod maiora bona sint meliora quam minora, est euidens quod ita sit: sed voluntas Diuina non debet ita se conformare intellectui, ut debeat velle, quae intellectus iudicat meliora secundum se.

Obicit quarto de facto semper Deus facit quod optimum est: ergo necessitatur ad id faciendum.

Respondeo primo, negando consequentiam, quia poterat illa facere libere absque vlla necessitate etiam morali.

Respondeo secundo, negando antecedens, quia fortassis multa sunt meliora, quae Deus non fecit etiam in quibus est status, quam quae facit.

19 *Obicit quintus*. Partes semper dicunt Deum velle, & facere quod optimum est: auctoritates citat *Grandus* & *Lugo*, nobis sufficit instar omnium vnicus Augustini locus libro de quantitate animae cap. 33. *Iustitia Dei factum esse, ut non modo sint omnia: sed etiam sic sint, ut melius esse non possint*: ergo necessitatur Deus.

Respondeo primo negando consequentiam, quia posset meliora velle absque necessitate vlla. Verum quia si antecedens esset verum in sensu aduersarij, quem praeseferunt Patrum verba, sequeretur conclusionem sequentem, principaliter in hac quaestione intentam esse falsam, illud explicare oportet. Et quidem *Lugo* quatuor explanationes dat: *Prima est*, quod significetur Deum omnia

facere absque defectu aliquo positiuo, scilicet malitia aut imprudentia. *Secunda*, quod Deus faciat semper meliora in ordine ad finem a se intentum. *Tertia*, quod intelligenda sunt illa loca de perfectione conaturali ipsiusmet rebus ita, ut non potuerit maiorem perfectionem rebus de facto conditis tribuere, quam naturaliter exigerent, ea perfectione quam de facto ipsis tribuit. *Quarta* denique, quod fecerit omnia, perfectissimo modo non solum secundum conuenientiam naturalem, sed etiam secundum congruentiam, & proportionem pulchritudinis, & decoris, in ordine ad totum vniuersum.

Sed contra primam explanationem facit, quod non sit idem rem aliquam non habere defectum, ac ea re melius non posse produci: ergo cum Patres hoc dicant, non sufficienter explicantur per illud.

Contra secundam est, quod non minus repugnat Deo ex duobus medijs vnus bonum proportionatum eligere, quam ex duobus finibus minus bonum intendere: ergo si hoc non repugnat, nec repugnat illud de quo postea.

Contra tertiam facit, quod quamuis hoc vniuersum non possit reddi perfectius quantum ad perfectiones conaturaliter requisitas a partibus ipsius de facto existentibus, tamen redderetur perfectius si aliae partes perfectiones in illo ponerentur, quae exigent perfectionem maiorem: & quis dubitat quin si totus mundus esset instar Paradisi, & homines in mundo existentes essent in tali perfectione constituti in qua erant primi parentes, melius esset totum vniuersum, quam de facto est, aut certe, si melius est iam, quam erat tum cum illa parte: ergo tum non faciebat Deus, quod optimum est secundum se.

Qua etiam impugnatio tollit vltimam explanationem: nam si maior pars mundi esset instar Paradisi, & in alijs partibus relinquerentur illa diuersitates, quae modo sunt, & esset maior perfectio substantialis, & sufficiens varietas ad pulchritudinem, & decorem vniuersi.

21 *Respondetur ergo aliter*, Partes velle quod Deus fecerit meliora, & quod non potuerit facere meliora quam ea, quae fecit, quantum ad hoc quod non omiserit vllam perfectionem rerum, ex qua sequeretur quod ipse esset imprudens artifex aut malus, aut quod commiserit errorem aliquem moralem in dispositione aut creatione rerum: non potuit ergo facere meliora, quam quae fecit quantum ad excludendam a se omnem suspensionem imprudentis, aut mali opificis, & gubernatoris: & in hoc sensu quae fecit sunt perfectissima, quae sufficientissima.

Das 212
obiect o.
res.
Duas alias obiecti nes proponit *Lugo*, in quibus soluendis subtilissimus est, cum paucis res facili expediri possit. *Vna est* ex inclinatione infinita Dei ad bonum volendum, ex qua sequi videtur, quod tollatur eius indifferencia, & consequenter quod necessitetur ad bonum volendum. *Alter* ex eo quod homines committerent imperfectionem moralem eligendo bonum: ergo & Deus.

22 *Respondetur facile* ex dictis. Deum non habere inclinationem vllam actualem ad vllum bonum, nisi liberam: inclinatio autem eius in actu primo, quae consistit vel in bonitate ipsius, vel in potentia, quae posset tendere in bonum, nullam exhibet illi difficultatem in relinquendo bonum quodcumque, praesertim non infinitum. Per quod patet ad primam difficultatem.

Ad secundam respondeo negando antecedens, loquendo de imperfectione positiuo.

Respondeo secundo, negando consequentiam, quia eo ipso quo relinqueret homines maius bonum, electo minori, careret perfectione maiori quam haberet actus quo vellent maius supra actum quo vellent minus bonum. Actus autem Diuinae voluntatis omnis est infinitus, tam ille quo vult maius bonum, quam quo vult minus, & propterea non esset perfectior Deus habendo vnum actum potius, quam alterum: unde non posset dici carere perfectione maiori, non habendo actum circa maius bonum.

CONCLV

CONCLUSIO II.

23 *Deus potuit facere mundum meliorem, ac perfectiorem quam praesens est, & quoad accidentia, & quoad substantiam, & hoc non solum absolute, sed etiam supposito quocumque fine à Deo de facto praefixo.* Hec quoque ad primam partem est communissima contra Durandum 1. d. 44. q. 3. quoad secundam vero est contra Auerfam. q. 3. sect. 5. & Lugo supra.

Probatur prima pars: quia Deus non necessitatur ad optimum, ut ex dictis patet; & ex alio capite nulla est implicantia quin mundus posset esse perfectior, & accidentaliter per hoc, quod auferrentur aliqua accidentia nociva, aut quod communicarentur aliqua accidentia proficua de facto non communicata; & etiam substantialiter per productionem aliquarum substantiarum perfectiorum loco aliorum, quae de facto sunt producta; ergo debet dici, quod Deus posset utroque modo reddere mundum perfectiorem.

Confirmatur per dicta supra de statu innocentiae, & Paradisi: mundus enim, si duraret ille status, esset perfectior, aut imperfectior, quam modo est. Si perfectior, sine dubio potuisset modo mundum ad talem statum redigere, & sic faceret mundum perfectiorem. Si imperfectior: ergo quemadmodum mundum reddidit perfectiorem, quam tum fuit, ita posset ipsum reddere perfectionem, quam modo est. Nec in hoc est vlla profus difficultas, ex suppositione, quod Deus non teneatur semper ad meliora.

24 *Probatur secunda pars:* quia sicut Deus non teneatur intendere meliorem finem, ita neque ad finem quemcumque intentum debet eligere meliora media: aequaliter enim determinari debet ad utrumque: ergo non obstante quocumque fine, quem de facto habuit, potuit facere mundum meliorem, etiam in ordine ad acquisitionem talis finis. Quod Deus autem non teneatur intendere meliorem finem, patet ex dictis conclusionibus praecedentibus; & praeterea, quia si intenderet necessario meliorem finem, deberet intendere meliora etiam media, & consequenter non posset mundus absolute esse perfectior, quam modo est; quia non potest esse absolute perfectior, nisi possit conducere ad perfectiorem finem; sed non posset habere perfectiorem finem, si Deus necessitetur ad perfectissimum finem.

Confirmatur: quia sicut in finibus est processus in infinitum secundum aduersarios, ita ut nullus possit assignari perfectior, quo alius perfectior assignari nequit, & propterea Deus non potest intendere finem aliquem determinatum perfectissimum: ita etiam in medijs ad finem est similis processus in infinitum: ergo non potest Deus eligere medium perfectissimum, & consequenter quocumque medio assignabili posset adhibere melius, & perfectius.

Confirmatur secundo: quia quamvis daretur status in finibus adhuc Deus posset non eligere perfectissimum: ergo quamvis daretur etiam status in medijs, idem dici posset de ipso.

25 *Obiicies contra primam partem* auctoritates Patrum, quibus significatur Deum facere semper meliora, & non posse facere meliora, quam quae fecit. Sed *Responsio* patet ex dictis supra num. 21.

Obiicies secundo ex Durando, omnes species possibiles cum ijs, quae de facto sunt, habent ordinem superioris, vel inferioris: ergo faciunt cum ipsis unum ordinem: sed iste ordo, aut clasis est hic mundus: ergo mundus non potest reddi perfectior, saltem quoad perfectiores species, quam de facto sunt.

Respondetur, quamvis concederetur consequentia, non esse contra conclusionem; quia saltem posset hoc non obstante, mundus reddi perfectior extensius, & substantialiter, ut si fieret maior multo, quam modo est, & multiplicarentur in ipso aliquae viliores creaturae, aut omnes omnino, seruata proportionem tali, qualis de facto obseruatur.

Respondetur secundo, negando maiorem: nam iste ordo, seu clasis est mundus possibilis, quem posset decernere Deus, non qui de facto existit, & est decretus.

Confirmatur: quia Deus posset ab aeterno non decernere productionem speciei equinae sine dubio, sed aliam aliquam speciem loco ipsius; & in tali casu species equina non spectaret ad hunc mundum, licet esset superior, aut inferior omnibus alijs speciebus in mundo existentibus; ergo quamvis de facto esset aliqua species rerum, quam Deus decreuit nunquam producere, & quae esset, vel perfectior vel imperfectior omnibus speciebus, quarum productio est decreta, adhuc non deberet spectare ad hunc mundum.

26 *Obiicies tertio:* si Deus potuisset perfectiorem mundum facere, & non fecisset, posset argui inuidia; iuxta illud Sancti Augustini libro. 83. q. 99. quaest. 30. Si Deus Pater potuisset meliorem Filium gignere, & non genuisset, esset inuidus; si voluisset, & non potuisset, esset infirmus.

Respondetur, negando sequelam: id enim non esset defectus bonitatis, sed effectus libertatis. Ad auctoritatem Sancti Augustini responderi solet communiter, non esse paritatem de productione Filij & Mundi, quia Filius producit naturaliter, mundus vero libere. Vnde, inquit, si Filius non produceretur perfectissimus, sequeretur defectus bonitatis in Deo.

Verum hac responsio non placet; tum quia hypothesis Augustini est, quod si Filius produceretur libere, & non produceretur perfectissimus, qui produci posset, id adscribendum esset inuidiae Patris nolentis id facere: & sane si non ex libertate oriretur, quod Filius non produceretur perfectissimus, sed ex alio quocumque capite, non posset dici Pater inuidus ob non productionem illius cum tali perfectione, inuidia enim proprie spectat ad voluntatem liberam.

Itaque respondeo primo, Augustinum discurrere ad hominem in sententia Philosophorum, qui simili argumento utebantur ad probandum aeternitatem mundi.

Respondetur secundo, negando paritatem utriusque casus & disparitas est, quod si Pater non produceret Filium perfectissimum, cum posset ipsum producere, id alteri non posset adscribi, quam inuidiae; aut alicui bonitatis defectui, quandoquidem bonitas Filij infinita inuitaret, & alliceret ad sui productionem. Si autem non produceret Deus mundum perfectissimum, non posset hoc attribui tali defectui, quandoquidem mundus non habeat perfectionem infinitam, quae alliceret ad sui productionem; sed posset adscribi libertati Diuinae, & defectui infinite bonitatis in mundo.

27 *Obiicies contra secundam partem:* non temere, aut casu Deus de facto decreuit mundum producere cum illa perfectione, quam habet, potius quam cum maiori, aut minori, sed ex eo, quod ad finem à se de facto intentum mundus cum perfectione, quam de facto habet, fit optimum medium: ergo supposita determinatione finis de facto intenti mundus non poterat produci perfectior in ordine ad acquisitionem talis finis.

Confirmatur: argueret imperfectionem in agente propter finem, non assumere perfectissima media in ordine ad illum acquirendum, praesertim si aequae bene posset illa assumere, ac minus perfecta; ergo Deus fecit mundum perfectissimum ad acquisitionem finis de facto à se intenti nec consequenter poterat in ordine ad talem finem perfectior mundus creari.

Respondetur, eodem modo, quo nec temere, nec casu fecit mundum cum hac perfectione, quam de facto habet potius, quam cum minori, aut maiori, non temere etiam, nec casu intendisse ipsum talem finem potius, quam etiam perfectiorem, aut minus perfectum. Vnde sicut hoc non obstante elegit hunc finem, cum tamen posset hac media eligere potius, quam alia perfectiora, aut minus perfecta: sufficit autem ad hoc, quod non temere id fecerit, quod libere, & supposita plena deliberatione determinauerit se ad hoc medium potius, quam ad aliud quodcumque.

Ad confirmationem respondeo negando sequelam; sufficit enim quod applicet media valde conducentia, & sufficientia; & sane non magis arguit imperfectionem eligere media minus perfecta, quam eligere finem minus perfectum, unde meo iudicio satis inconsequenter loquuntur Authores, qui tenent primam partem conclusionis, & negant secundam.

QVÆSTIO III.

Utrum Mundus fuerit de facto productus ab æterno.

Mundum esse factum ab aliquo, & non esse ens simpliciter necessarium, ac independens sicut Deus est, hic omnino supponendum est ex principiis Theologicis, ac metaphysicis, quidquid somniauerint aliqui olim Philosophi. Quaritur autem hoc supposito, an fuerit factus ab æterno absque principio durationis, vel in tempore aliquo determinato, ante quod posset Deus aliquid producere, si vellet.

CONCLUSIO

Mundus
fuit fa-
ctus ab
æterno.

28. *Mundus, nec quoad se totum, nec quoad ullam partem sui fuit factus, creatus, aut productus ab æterno.* Hæc est de fide contra Philosophum, & multos antiquos, quamvis multi ab eo errore vendicent Philosophum, rectene, an non, parum omnino refert; nec in mente ipsius explicanda, aut vniuersa doctrina defendenda, quasi nullum impigerit in errorem, laboriosius hærendum videtur.

Probatur Genesis 1. in principio creauit Deus Cælum & Terram. Proverb. 8. *Domini possessio me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Io. 17. *Clarifica me Pater, ea claritate, quam habui priusquam mundus fieret.* Ephes. *Elegit nos ante mundi constitutionem.* Quæ loca non solum expresse videntur importare conclusionem, sed etiam à Conciliis, Patribus, & Theologis in eo sensu intelliguntur, ut non possit iam esse locus vllis dubitationi, aut altercationi.

Quamuis autem hoc fidei dogma euidenter demonstrari non possit, supposito præsertim, quod non repugnet productio mundi ab æterno; non desunt tamen aliqua probabiles rationes, quibus id suaderi possit negantibus Scripturæ autoritatem.

Quatuor
rationes
Complu-
rentium

Complures quatuor adducunt congruentias ad probandam temporariam mundi productionem. *Prima est*, ut creatura non esset æqualis Deo duratione. *Secunda*, ut ostenderetur, Deum non indigere creaturis. *Tertia*, ut nemo dubitaret de creaturarum productione, nec eis putaret necessario à Deo productas. *Quarta*, ut vna cum libertate diuina ostenderetur eius potentia.

29. *Verum hæ congruentiæ non multum vrgent.*

Non prima; si enim creatura possit esse par Deo in duratione absque inconuenientia, cur esset inconueniens, quod ita esset de facto?

Non secunda quia eo ipso, quo constaret Deum esse ens infinite perfectum, & realiter distinctum à creaturis, eo gnoscetur facile, quod non indigeat illis.

Deinde, sicut per reuelationem, aut rationem de facto constat Deum ipsis non indigere; posset etiam id tum simili modo innotescere; nec sane posset dubitari de facto, an Deus indigeret creaturis, persuaderi pars negatiua, per hoc medium, quod Deus fuerit aliquando absque creaturis, quia hoc medium esset æque ignotum, ac id, ad quod probandum assumereur: ergo productio æterna mundi non debuit ob hanc congruentiam omitti.

Non etiam tertia, ob eandem rationem, quia quamuis esset ab æterno, posset per reuelationem, & rationem ostendi, quod produceretur libere, non minus quam de facto ostenditur.

Non denique quarta, quia sicut posset cognosci, quod quævis produceretur ab æterno, produceretur tamen libere, atque adeo sic, ut possent produci in tempore: ita non obstante tali productione, cognosci posset, quod Deus producens ipsas esset tam liber, ac potens, ac modo est.

Sed omisso aliarum congruentiarum examine, duas

principiores hic subiungere placuit, quibus tamen non tam fidendum est, quam authoritati.

30. *Prima est*, quod res humanæ successu decrescant, & peiores ita, ut ipsi homines non solum, quoad diuturnitatem vitæ, sed etiam quoad robur corporis, & magnitudinem notabiliter declinent: ergo si fuisset infinitum tempus transactum, per quod semper vixissent homines; sequeretur, quod aliquando viuerent homines incredibilis magnitudinis, & fortitudinis, & quod iam habemus statum infinite imperfectiorem, quam antiqui olim homines habuerint: ergo non existit mundus per infinitum tempus, & consequenter non existit ab æterno.

Confirmatur: quia ante octo mille annos homines vivebant naturaliter per 600. 700. annos, & consequenter generabant multos filios: ergo cum in temporibus præcedentibus debebant naturaliter diutius vivere, si fuissent, & consequenter plures alios generare, sequeretur totum mundum fuisse repletum hominibus, imo non fuisse satis loci in eo pro illis, quod est ridiculum.

31. *Secunda est*, quia ex historiis non habemus memoriam vllarum rerum, quæ præcesserunt 8000. annos; sed non est verisimile, ex omnibus, quæ ante illos annos contigisse oporteret, si mundus fuisset ab æterno, nullam præteritum esse memoriam: ergo mundus non erat ab æterno.

Confirmatur: quia ex historiis habemus, qui, & quando fuerint omnium artium inuectores; sed si mundus fuisset ante illa tempora ab æterno, vel esset falsum hoc, vel sequeretur, quod longissimo tempore absque vllis artibus fuerit, quod est absurdissimum.

32. *Obijciunt primo* ex Philosopho: omni motus supponit mobile, cui sit actus eius, & omne mobile supponit motum, per quem sit: ergo ante quemcumque motum fuit mobile, & contra, & consequenter nullus assignari potest primus motus, aut primum mobile, quod est falsum, si mundus non fuisset ab æterno.

Respondeo primo, distinguendo antecedens pro prima parte: supponit mobile in prioritate durationis, nego; in prioritate nature, concedo: similiter distinguo primum consequens, & nego secundam consequentiam.

Respondeo secundo, negando antecedens pro secunda parte: nam capiendū motum in rigore pro actu mobilis, quo mediante acquirit mobile aliquid aliud distinctum à se, & à sua existentia, quo modo accipitur in obiectione, falsum est, quod omne mobile præsupponat motum; quæ enim creatur, ut sunt materia prima, anima rationalis, & Angeli, possunt esse mobilia, & tamen non præsupponunt talem motum.

Obijciunt secundo: primus motus est ab æterno: ergo & motus.

Probatur consequentia: quia si inciperet moueri in tempore & antea non moueret, mutaretur realiter.

Respondeo deo negando consequentiam cum sua probatione, cuius oppositum patet quotidiana experientia.

23. *Obijciunt tertio*: Cælum est sedes Dei: sed Deus est ab æterno: ergo & Cælum, alias Deus esset ab æterno sine sede.

Confirmatur primo: quia bonum est communicationum sui; sed Deus est summe bonus; ergo summe se communicat, & consequenter ab æterno creaturas produxit, quibus ab æterno se communicauit.

Confirmatur secundo: quia si non communicaret se cum posset, esset intudus; cur enim alias se non communicaret?

Confirmatur tertio: quia si produxit mundum in tempore, verum est dicere, quod ante illud tempus non fuerit productus; sed per illud ante designatur tempus, ergo antequam fuerit tempus, esset tempus, quod implicat.

Respondeo cælum non esse sedem Dei proprie loquendo, quasi in eo solo contineretur; neque enim quantum ad se perfectius est in cælo quam in terra; sed dicitur cælum esse domicilium & sedes eius, quia ibi se magis communicat Beatissimis cum stabilitate ac firmitate status: nec est absurdum quod ab æterno fuerit absque aliqua sede distincta à seipso.

Ad

Ad primam confirmationem respondeo, Deum ab aeterno summe se communicare Filio & Spiritui sancto, non vero creaturis quibus non tenetur communicare se, nisi pro suo arbitrio.

Ad secundam confirmationem respondeo, negando sequentiam; sed ratio cur non se communicaret est, quia non necessitatur ad se communicandum; sed id libere & liberaliter facit, unde poterat id omnino non facere, absque nota iniudiae aut alterius defectus.

Ad tertiam confirmationem respondeo distinguendo minorem: tempus reale actualiter existens, nego minorem: tempus imaginarium seu possibile existere, concedo minorem: & similiter distinguo consequens.

QVÆSTIO IV.

Utrum Mundus potuerit esse ab aeterno.

33 **V**T intelligamus, an mundus potuerit esse ab aeterno, oportet considerare mundum constare ex duobus generibus rerum, nimirum ex rebus successivis, ut motu, tempore, & quae per motum ac successivie producuntur: & ex rebus permanentibus, quae simul absque successione producuntur, ut sunt Angeli, materia prima, animae rationales ac similia. Itaque si quoad utramque has res potest ab aeterno produci, potest dici simpliciter de ipso quod ab aeterno produci possit si vero, nec quoad utramque nec quoad alterutram sic produci possit, negari debet simpliciter eius aeterna productio: si autem denique possit, quoad aliquas & non quoad utramque ut verbi gratia quoad permanentes, non quoad successivas, debet dici de ipso, quod potuerit esse ab aeterno non simpliciter, sed quoad illas res permanentes.

Prima sententia est, quod non potuerit esse ab aeterno quoad illas res siue permanentes siue successivas. Ita Albertus Magnus, Ru. Marf. Henricus, & plures moderni, ac antiqui, quos sequitur Camerarius dist. 2. 1.

Secunda sententia est, quod potuerit esse ab aeterno quoad res permanentes, non quoad successivas: ita Combric. Ruinus, Placa 8. Physic. cum multis recentioribus & Sumario dist. 20. met. sect. 6. quos sequuntur Ioannes a Sancto Thoma quaest. 24.

Tertia sententia est, posse esse mundum ab aeterno quoad res permanentes, & successivas infinitarum partium, qualis posset esse motus celi ab aeterno, ac similia.

Hac quoad permanentes res est Scotus in 2. dist. 1. qu. 3. ubi etiam alteram partem relinquit sub dubio, nihil de ea reoluendo; eam tenent Complutenses hic, qui plures pro ea citant Thomam cum Sancto Thoma, & addunt non implicare, generationes, & corruptiones totius universi fuisse ab aeterno, unica excepta humana propagatione: videtur etiam Arriaga 8. Physic. tenere hanc sententiam, quandoquidem admittit posse esse res permanentes ab aeterno cum duratione successiva.

CONCLUSIO I.

34 *Mundus potuit esse ab aeterno quoad res permanentes. Hac est iuxta secundam, & tertiam sententiam contra primam.*

Probari solet prima, quia secundum Augustinum 6. de Trinit. cap. 7. Si aliqua creatura esset ab aeterno, produceret alia creaturam ab aeterno; si enim Sol esset ab aeterno, ab aeterno illuminaretur; sed Deus existens ab aeterno est multo potentior ad producendum aliquid quam creatura: ergo posset ab aeterno producere creaturam.

Verum meo iudicio hac probatio non sufficit; & ratio est, quia si creatura esset ab aeterno, eo ipso non repugnet quod alia creatura esset ab aeterno, & consequenter non repugnet quod produceret ab aeterno una creatura alteram: imo necessario illam produceret, si esset applicata sufficienter: at in sententia aduersariorum illa hypothesi, ex qua procedit consequentia Augustini, est impossibilis, unde non sequitur absolute quod Deus posset producere aliquam creaturam ab aeterno ex eo, quod si creatura esset ab aeterno, posset aliam creaturam producere.

Confirmatur hoc clarissimo exemplo: hac consequentia est optima: si homo esset spiritualis, & productus alterius

hominis, posset producere alium hominem spirituale: & tamen non sequitur: ergo Deus qui est maioris actiuitatis, potest producere hominem spirituale: sed similis prolixus est hac consequentia, ac illa, quae inferitur ex dicto Augustini: ergo non sequitur.

35 *Probari solet secundo, quia non est necesse ut causa precedat duratione effectui, sed sufficit prioritas naturae: ergo Deus posset creaturam producere, quamvis non praecederet ipsum tempore, modo praecederet naturae; sed si produceret ipsam ab aeterno, praecederet ipsam naturae: ergo potest illam sic producere; nihil enim aliud videtur impedire, quam quod deberet praecedere tempore aut duratione.*

Hac etiam probatio non placet: quia non ex eo Deus non posset producere creaturam ab aeterno, quod praecessio durationis requiratur in causa ad effectum: sed ex eo, quod aeternitas non posset competere creaturae. Unde in forma respondeo distinguendo primum consequens: quamvis non praecederet creaturam tempore ex ratione causae, concedo: ex ratione infinitatis suae & limitationis creaturae, nego consequentiam: nam ex infinitate, & necessitate Dei oritur quod ipse debeat esse ab aeterno, & ex limitatione creaturae secundum aduersarios oritur, quod non possit esse ab aeterno; & hinc necesse est quod Deus praecedat tempore creaturam. Concedo autem subterfugium, & nego consequentiam cum sua probatione. Alia autem causam iam assignavi in sententia aduersariorum, quae aliunde debet impugnari, ut valeret hac probatio.

36 *Probatum tertio, quia si Deus esset causa naturaliter agens, necessario produceret creaturas ab aeterno: sed non est minus potens iam, cum sit causa libere agens, quam esset tunc: ergo sicut tunc necessario produceret creaturas ab aeterno, iam potest ab aeterno eas libere producere.*

Non magis aridet hac probatio, quam praecedentes, quia vel non sequeretur vlla ratio, quod Deus necessario produceret creaturas ab aeterno, ex eo quod esset causa naturaliter agens, quoniam creaturis repugnat talis productio secundum Aduersarios; vel certe, si ex vna parte id sequeretur, nempe ex potentia infinita Dei, & ex necessitate agendi, tamen ex alia parte id repugnaret, ex eo scilicet, quod repugnaret creaturae talis productio, ut contendunt aduersarii. Unde aliis rationibus persuadendum est ipsis, id non repugnare, vel certe hac probatio non sufficit.

37 *Melior probatio conclusionis est, quod non possit assignari vlla repugnancia in productione aeterna rei permanentis; sed Deus potest facere quidquid non implicat; ergo potest producere ab aeterno rem permanentem. Maior, in qua sola est difficultas non potest melius probari, quam soluendo obiectiones aduersariorum, in quibus proponuntur rationes implicantiae.*

Confirmari posset ex D. Thoma: nulla ratio naturalis docet mundum fuisse factum in tempore, quia id est dogma fidei, & quod fides docet, ratio naturalis non concludit: ergo nulla ratio naturalis docet mundum non potuisse esse ab aeterno.

Verum hac confirmatio satis infirma est: negari enim facile potest antecedens cum minori probationis. Licet enim multa, quae fides docet, nequeant probari euidenter ratione naturali, ut mysterium Trinitatis, Eucharistiae, & similia, tamen multa etiam docet, quae probari euidenter possunt, ut existentia vnius Dei, sapientissimi, optimi, &c. Et sane hoc ipsum quod fides docet, mundum factum in tempore, potest probari ratione naturali quantum ad non implicanciam. Et id est de plurimis aliis, quae reuelata sunt Itaque sistendum in ipsa non implicancia sola, tanquam vnico principio huius conclusionis.

38 *Obiicit primo. Multi sancti Patres docent impossibile esse creationem aeternam vllius creature: eorum verba citat Camerarius supra, ubi etiam impugnat multas aliorum responsiones.*

Sed respondetur breuiter & clare, eos tantum voluisse, creaturas non potuisse esse ab aeterno eo modo, quo à Philosophis quibusdam asserbatur aeternitas earum, & eo modo,

quo Filius æternus est productus, nempe necessario: hoc autem verissimum est, sed non sequitur inde, quin possint esse ab æterno libere, sicut in conclusione asseritur.

Confirmatur hoc: quia Partibus sufficiebat impugnare tam Philosophos, qui asseriebant æternitatem mundi, quam Arrianos, qui dicebant Filium esse creaturam: sed utrosque sufficienter improbant, dicendo & probando creaturam non posse esse necessario ab æterno: hinc enim sequebatur manifeste falsum esse quod dicebant illi Philosophi; & præterea Filium non esse creaturam, quandoquidem necessario producebatur ab æterno: ergo non sunt trahendi Patres ad alium sensum non necessarium & contrarium ipsorum intento.

39 *Dices cum Camerario*, rationes Patrum probare quod nulla ratione possint produci ab æterno: arguunt enim ex eo non posse eas produci ab æterno, quia cum creaturae sint, debent produci ex nihilo: quod autem sic producit, nequit esse ab æterno, quia nihilum deberet præcedere, ex quo produceretur: id autem quod est ab æterno nihil præcedere potest, ut patet.

Confirmat Camerarius hanc Patrum rationem, quia quando aliquid resoluitur in nihil posterius est nihil illud, in quo resoluitur, quam esse rei resolutæ: ergo quando aliquid fit ex nihilo, posterius est esse ipsius, quam nihil ex quo fit.

Confirmari potest secundo, quia repugnat annihilationem esse ab æterno, ergo & creationem: Consequentia patet à paritate rationis: antecedens vero patet, quia res que annihilaretur, deberet esse ab æterno producta positivè ut annihilaretur, & consequenter annihilatione eius non esset ab æterno, alias contradictoria essent simul ab æterno.

Respondet, negando assumptum, ad cuius probationem dico, ex eo quod aliquid producat ex nihilo, sequi solum quod non possit produci ab æterno necessario; non vero quod non possit sic produci libere: ergo potius ratio Patrum est iuxta, quam contra nostram probationem. Consequentia est certa: probatur antecedens; quia ex eo quod producat ex nihilo, debet nihilum procedere vel tempore vel natura: sed si creatura necessario produceretur ab æterno, nec tempore, nec natura præcederet: ergo, probatur minor: non tempore, ut manifestum est: non natura etiam, quia si sic præcederet, deberet præcedere vel privatiue, aut negativè, vel positivè: non positivè, quia, que sic præcedunt, sunt simul tempore seu duratione cum rebus quas præcedunt; sic enim animal est simul tempore cum rationalitate, causa est simul tempore, cum effectu: sed nihilum, ex quo fit creatura, debuit esse simul duratione cum creatura, alias contradictoria esset simul duratione: non etiam privatiue aut negativè; quia que sic præcedunt, possunt antecedere duratione, & sic privatio cuiuscunque formæ, que præcedit naturæ formam, potest esse tempore antecedens formam: sed si creatura esset necessario ab æterno, nihil, ex quo fieret, non posset esse duratione præcedens ipsam: ergo non esset negativè aut privatiue prior ipsa natura.

40 Ex alio vero capite, si creatura produceretur ab æterno libere, nihil, ex quo fieret, licet non præcederet duratione creaturam, nec etiam natura positivè loquendo, tamen præcederet ipsam naturam negativè seu privatiue; quandoquidem posset præcedere duratione, & præcederet etiam actu, nisi Deus determinaret producere creaturam.

Confirmatur hoc: quia non magis nihilum debet præcedere creaturæ productionem, quam privatio debet præcedere in subiecto generationem, ac inductionem; sed non requiritur quod privatio præcedat tempore formam nec etiam positivè loquendo, ut ostendimus primo Physicorum, sed sufficit quod præcedat naturæ privatiue seu negativè loquendo: ergo idem dicendum de præcessione nihili ad rem productam ex nihilo.

Ad confirmationem Camerarii respondeo negando consequentiam, quia ad hoc ut resoluitur aliquid in aliud debet illud aliud aliquando esse; unde cum non possit esse simul cum illo, quod resoluitur; quia alias non resolveretur, debet necessario subsequi etiam duratione: at ut aliquid

fiat ex illo, non est necesse ut illud aliud aliquando sit, sed sufficit quod sit, vel quod esse posset & esset, nisi produceretur illud, quod ex illo fieri dicitur.

Ad secundam confirmationem respondeo, negando sequelam: & ratio disparitatis est: quod annihilatio præsupponat positivè rem, quæ annihilari dicitur, creatio vero non præsupponat positivè non esse sui, unde potest esse ab æterno, ut patet in productione æternæ Filij & Spiritus sancti. Nec refert has productiones esse necessarias, & non esse ex nihilo, quod non competit productioni creaturæ: nam hinc solum habetur quod creaturae possint habere non esse ab æterno, non vero habetur, quod non esse debeat præcedere positivè ipsorum esse.

41 *Obiicit secundo*, Creatura est finita, & limitata: ergo non est capax vllius rationis infinitæ, & consequenter nequit habere durationem infinitam, qualem tamen haberet si esset ab æterno, duratio enim finita ad hoc non sufficit.

Respondeo, negando sequelam: sicut enim, si esset locus infinitus, una creatura finita posset poni per vbi infinitum in illo, nec hoc repugnat: ita etiam non repugnat, ut, cum sit æternitas de facto in Deo, creatura possit per durationem infinitam coexistere illi.

Obiicit tertio, nulla perfectio Dei propria potest communicari creaturæ vlli: sed æternitas est talis perfectio, ergo nequit creatura esse æterna:

Respondeo distinguendo minorem: æternitas participat, & dependens, qualem solam haberet creatura si esset a Deo producta ab æterno libere, & non necessario, nego minorem: æternitas independens, & imparticipata, concedo minorem: sed talis non communicaretur creaturæ productæ ab æterno.

Confirmatur hoc: quia immensitas est tam propria Deo, quam æternitas: sed immensitas participata posset communicari creaturæ, si daretur locus infinitus, ut paulo ante dixi: ergo æternitas etiam participata potest ipsi competere, quandoquidem de facto existat æternitas infinita Dei, cui posset coexistere.

42 *Alii confirmant* eandem responsionem: quia æternitas à parte post potest competere, imo de facto competet tam iustis in Cælo, quam peccatoribus in inferno: ergo communicari æternitatem creaturæ non repugnat.

Verum hæc confirmatio non admodum placet, tum quia est aliqua disparitas inter utramque æternitatem ab omnibus concedenda, ratione cuius de facto omnes concedunt congruum esse dari æternitatem à parte post, & non esse congruum dari æternitatem à parte ante: tum quia non sequeretur ex æternitate à parte post æternitatis similis æternitati Dei: illa enim habet principium, licet non habet finem, hæc vero nec principium nec finem habet: at si æternitas à parte ante posset competere creaturæ posset etiam ipsi æternitas à parte post competere, & sic posset et competere ipsi æternitatis carens principio & fine, quod magis sine dubio accedit ad similitudinem æternitatis Divinæ, quam æternitas à parte post; unde quamvis hæc posset et competere creaturæ, non sequeretur eo ipso practicaliter quod illa posset ipsi competere. Quod etiam ulterius confirmatur ex eo, quod certum est motum à parte post posse esse, & de facto futurum æternum, & tamen valde dubitatur an possit dari motus æternus à parte ante.

43 *Obiicit quarto*, Si creatura esset ab æterno, vel duraret duratione indivisibili, vel divisibili: sed neutrum dici potest; ergo non potest esse ab æterno. Probatur minor pro prima parte: quia si duraret duratione indivisibili natura istius durationis indivisibilis esset facere creaturam et æternam et durantem, atque adeo non posset esse, quin ipsamet existeret æternaliter: sed hoc est absurdum: quia inde sequeretur, quod aliqua creatura non esset sub perfecto dominio Dei: illa enim duratio non esset sub perfecto dominio eius: illud enim non est sub perfecto dominio Dei, quod est talis naturæ, ut Deus non possit ipsum destruere pro quocumque instanti, pro quo voluerit ipsum destruere: sed non posset illam durationem destruere pro quocumque instanti, quandoquidem necessario deberet durare per æternitatem ex natura sua extrinsecam.

Probat

Creatura
esset ex
nihilo si
produceretur
ab
æterno
libere, non
vero si
necessario
no.

Facilius
est motum
a parte
ante
concedere
quam a
parte
ante.

Probatur eadem minor pro secunda parte: quia si duraret ab æterno duratione diuisibili, tota duratio quæ ab æterno ad huc vsque diem durauit, deberet esse simpliciter infinita: & quandoquidem tota fuerit actu posita extra causas, sequeretur quod aliquod infinitum simpliciter sit actu productum.

Respondetur, eodem modo, quo res, quæ durat per horam, habet durare per illam horam siue duratione indiuisibili, siue diuisibili, habere etiam durare rem, quæ ab æterno existeret. Et si dicatur quod res durans per horam duret duratione indiuisibili, sicut non est absurdum quod duratio ipsius sit talis naturæ, vt si producatur necessario, debeat durare per horam, & hoc non obstante est sub tam perfecto dominio Dei quam potest esse, quamuis non posset destrui per totam illam horam: ita discurrendum de duratione, quæ res duraret ab æterno, si esset indiuisibilis: Quod si duratio rei existetis per horam sit necessario diuisibilis, idem etiam dicendum de duratione rei æternæ, & tum concedatur infinitum actu esse possibile de potentia absoluta; & qui hoc negauerit, vel cui incertum est, neget etiam, vel incertam habeat hanc conclusionem.

44 In mea autem sententia, si poneretur duratio esse aliquid distinctum à creatura se tenens ex parte creature, & in ipsa subiectata, admittendum esset quod duratio esset quid successuum formaliter, & consequenter si implicaret infinitum in actu, quod implicaret ob hanc rationem creaturam esse ab æterno. At si ponatur illud, à quo habet creatura à solo Deo durare tanto tempore, nõ esse quid distinctum à uolitione Dei libera, duratio quidem esset formaliter indiuisibilis: & non est inconueniens quod ex suppositione quod Deus uellet creaturam existere ab æterno, non posset creatura illa ita per æternitatem destrui, quin necessario deberet durare æternam à parte ante, & etiam à parte post, si Deus id uellet; sicut non est inconueniens quod si Deus uelit hominem conseruare per annum, non possit homo destrui per totum illum annum ex illa hypothese: nec est inconueniens quod quod ipsa uolito libera Dei qua uelit aliquid sit indestruibilis ex suppositione quod semel sit. Forma autem creata indiuisibilis, quæ deberet ex suppositione quod produceretur à Deo pro hoc instanti, conseruari pro aliis instantibus sequentibus, omnino mihi repugnare uidetur: cum enim habeat totam suam existentiam, & omnes proprietates ac accidentia sibi necessario connexa in hoc instanti, nec durare in alio instanti sit connexum cum ipsa quandoquidem non habeat in primo instanti; certe non potest vel cum vlla apparentia dici, quod debeat necessario à Deo conseruari, pro alio instanti, nec potest bene concipi, quæ ratione posset hoc necessario exigere ex natura sua intrinseca, quandoquidem sit realiter distinctum ab ipsa, & ipsa possit absque hoc existere. Videantur, quæ dixi supra de hac re in disputatione de duratione.

45 *Arriaga* probat creaturam non posse ab æterno durare duratione indiuisibili, quia illa duratio deberet deperdi in tempore quam primum posset, & eius loco produci duratio successiua: sed non posset ostendi quando deperderetur: si enim dicatur deperdi hodie, non est uerum quod hodie primum deperdi potuit, quia quamuis deperderetur heri, adhuc esset æterna: & si diceretur deperdi heri, adhuc posset deperdi ante, & sic in infinitum sine eo quod desineret esse æterna.

Hæc probatio, quæ sufficiens uidetur *Arriagæ*, nihil concludit: *Respondetur* enim durationem quamcumque indiuisibilem, quæ creatura duraret ab æterno, non solum habere ponere rem ab æterno, sed vsque ad tale tempus vel instans; unde tum primum poterit destrui, quando uenit illud tempus vel instans, non ante. Itaque aliqua res posset ab æterno produci vsque ad hodiernum diem, & alia res vsque ad crastinum, & alia vsque ad tempora Christi: qualibet autem ex his rebus haberet durationes distinctæ rationis, nec vlla ex illis destrui posset vsque ad tempus illud ad quod vsque deberet res per illam durare: non uero est imaginandum, quod posset dari duratio æterna, quæ respiceret æternitatem tantum vt sic, sine

ordine etiam ad hoc vel illud tempus finitum, vsque ad quod deberet res durare.

Multo melius impugnaretur illa duratio indiuisibilis per principia quibus probatur non posse dari infinitum in actu, nam illa duratio esset infinita actualiter, quia æquiualeat durationibus infinitis successiuis; unde tam implicaret quam illæ infinitæ durationes, unde qui negaret infinitum in actu, deberet negare consequenter huiusmodi durationem.

46 *Obiicies quinto*: Si homo esset productus ab æterno, non posset unquam ostendi, quando primo moueret manum suam, quia quocumque instanti vel tempore moueret manum, daretur aliud tempus vel instans, in quo prius posset illam mouere.

Confirmatur: quia posset ab æterno producere actum liberum ex vno capite, quandoquidem esset liber, & ex alio capite non posset, quia non posset cessare ab eius productione per infinitum tempus.

Respondetur, non esse inconueniens, quod non posset ostendi quando primo posset mouere manum, quia non posset assignari primum instans, aut pars temporis, in quo primo posset mouere manum, sicut non potest assignari prima pars vllius motus, aut vllius continui secundum sententiam communem, quæ asserit, quod continuum componatur ex diuisibilibus in infinitum.

Ad confirmationem dico, quod si esset inconueniens, quod posset ab æterno elicere actum liberum, quamuis homo esset liber ab æterno, non posset producere ab æterno actum liberum, nec libertas eius in hoc consisteret, sed in eo, quod posset in tempore producere actum liberum.

Absolute autem dico, quod posset ab æterno producere actum liberum, nec libertatem talis actus impedit, quod necessario deberet esse æternus, sicut nõ impedit libertatem actuum diuinæ voluntatis, quod sunt ab æterno: & ratio vtriusque est, quia nõ sunt necessario ab æterno nisi ex suppositione, quod ab æterno libere producantur: & sicut si voluntas uellet per horam aliquid libere uelle, ex hypothese illa necessario ageret per horam, & tamen simpliciter libere ageret: ita in proposito dicendum est.

47 *Obiicies sexto*: si productus esset ignis ab æterno applicatus stupæ, vt bene posset, si vera est conclusio, sequeretur, quod combureret & non combureret stupam: sed hoc implicat: ergo nequit sic produci.

Probatur sequela maioris: quia combureret, quandoquidem esset causa naturalis naturaliter agens, & secundum Augustinum si creatura esset ab æterno, haberet effectus suos necessarios ab æterno: non combureret autem quia ante introductionem formæ ignis supponitur esse forma stupæ, & quidem positiue: sed nihil potest esse positiue ante illud, quod produceretur ab æterno, vt patet: ergo non combureret ab æterno.

Respondeo, negando sequelam maioris cum probatione pro prima parte: quamuis enim causa naturalis possit habere effectum naturalem suum ab æterno, quando non poneretur impedimentum ipsius: non tamen quando poneretur impedimentum. In proposito autem casu esset impedimentum combustionis ab æterno, quia esset forma stupæ ab æterno, quæ est incompatibilis cum forma ignis. Itaque sicut ignis non potest in tempore producere formam suam in stupæ applicata quomodocumque pro vilo instanti, pro quo forma stupæ existit in stupæ, quia alias duæ formæ substantiales non subordinatæ essent simul in materia, quod naturaliter impossibile est secundum omnes, & secundum multos etiam supernaturaliter, quandoquidem in casu nostro supponatur forma stupæ esse in materia stupæ ab æterno, non potest in ea esse forma ignis ab æterno, alias ab æterno haberet utramque formam.

Et si quæras, quando in tempore deberet produci forma ignis in illa materia.

Respondeo, quando determinaretur à Deo, ad quem solum illa determinatio spectaret, quia ignis ex se non esset magis determinatus in vno instanti quam in aliis antecedentibus, aut consequentibus.

48 *Obiicies septimo*: Creatura existens ab æterno

Ecc 3

Daretur infinitum, si duraret duratione indiuisibili æternam in creatura.

Homo ab æterno produci posset, si haberet actum æternum liberum.

Ignis ab æterno applicatus stupæ non posset comburi, si ab æterno.

non solum conseruaretur, sed produceretur: at hoc fieri non posset, quia conseruatio præsupponit productionem & hoc non solum negatiue, vt non esse aliquando præcedit productionem, & priuatio formam, sed positiue, implicat enim rem conseruari, quæ positiue non producit: ergo implicat creaturam esse ab æterno.

Respondeo negando minorem: sicut enim actus liber Dei producitur ab illo libere ab æterno quatenus liber formaliter loquendo, & similiter ab æterno conseruatur, etiam libere: ita de creatura illa philosophandum est. Ad probationem autem minoris dicendum est, quemadmodum actio successiua, quæ producit res in tempore, habet rationem conseruationis, & productionis, productionis quidem quatenus comparatur ad non esse rei præcedens illud tempus, conseruationis vero quatenus res producta consideratur in ordine ad quam umque partem illius temporis, ante quam est alia pars, in qua productebatur; ita etiam actio, quæ producit res ab æterno, habet rationem productionis & conseruationis, productionis quidem quatenus comparatur ad non esse quod haberet, nisi esset alia actio, & quod propterea præcedit natura illa actionem, & re negatiue; conseruationis vero, quatenus comparatur illa res ad quod umque instans aut partem temporis siue realis siue imaginarij, ante quod daretur aliud instans, aut pars temporis cui illa res esset coexistens, aut posset esse vi illius actionis: quod etiam confirmari potest exemplo volitionis liberæ Dei, & productionis æternæ Filij, ac Spiritus sancti.

49. *Obiicit octauo.* Si homo produceretur ab æterno cum gratia iustificante, posset elicere actum meritorium condignum vitæ æternæ, qui actus esset æquiualens duratione ac continuatione infinitis actibus, qui successiue producerentur, ergo esset infiniti valoris, atque adeo mereretur lumen gloriæ infinitum quo videretur Deus comprehensiuè. Probatur consequentia, quia quo magis continuatur actus, eo magis est meritorius ac maius præmium debetur illi.

Respondetur primo. Si esset inconueniens, quod daretur actus charitatis libere ab æterno productus, & conseruatus, negando sequelam antecedentis, propter eandem ipsam inconuenientiam: nec inde tamen sequeretur ipsum hominem cum gratia non posse ab æterno creari, quia talis inconuenientia ex hoc non sequeretur.

Respondeo secundo, distinguendo consequens, quoad primam partem infiniti valoris extensiuè, concedo; intensiuè, nego: & similiter distinguo secundam partem: meretur lumen infinitum extensiuè, si tale esset possibile, trahatur (si autem non sit possibile, secunda pars est de subiecto non supponente, vt dici solet, & tota vis argumenti corrui) intensiuè, nego consequentiam pro illa parte; & nego etiam quod comprehenderetur Deus per illud lumen infinitum extensiuè, quia vt videretur Deus comprehensiuè, requireretur lumen infinitum intensiuè, & potentia etiam intellectiue infinita, alias enim visio non posset attingere ad perfectionem visionis increate, nec consequenter posset esse perfectissima visio, quod requiritur ad visionem comprehensiuam, quando præsertim obiectum ex se est intelligibilitatis perfectissima.

CONCLUSIO. II.

50. *Si repugnet infinitum in actu, repugnat motus æternus à parte ante.* Si vero non repugnat infinitum in actu, non repugnat motus æternus à parte ante, qui sit infinitus, bene tamen repugnat motus æternus finitus. Hæc conclusio est quoad primam partem contra *Complutensis*, Quoad secundam vero, & tertiam partem est iuxta tertiam sententiam, & contra primam, & multos ex Authoribus secundæ sententiæ. Dico vero multos, quia aliqui ex illis ideo negant successiuum posse dari ab æterno, quia inde sequeretur dari infinitum actu, quod putant repugnare: contra hos autem non facit hæc conclusio, sed contra eos qui alias ob rationes negant possibilitatem successiuorum ab æterno. Propterea autem proposui conclusionem hanc conditionate, quia agendo de infinito dixi rem fuisse ab vtraque parte mihi incertissimam, & ab ea

Motus æternus infinitus non repugnat si non repugnet infinitum in actu.

controuersia hic abstinere volui.

Probatur autem prima pars: quia motus ille successiuus, qui esset ab æterno vsque in hanc diem esset simpliciter infinitus, & quoad omnem partem sui productus actualiter, & includeret infinitas partes determinatas, & æquales vni certæ parti, tempus enim æternum includeret infinitos dies, & motus æternus infinitas partes correspondentes motui horario aut diurno: ergo esset infinitus simpliciter, & categorematice, atque adeo si repugnaret infinitum categorematicum, repugnaret talis motus. Nec proflus refert quod omnes partes ipsius simul non existant; quia motus continuatus per annum est categorematice maior quam motus semi-anni, licet partes ipsius simul non existant, & categorematice potest dici de ipso quod includat tot partes determinatas æquales vni certæ; ergo similiter motus æternus potest dici categorematice includere infinitas partes determinatas, licet omnes partes eius simul non existant, de quo postea amplius.

51. *Probatur secunda pars:* quia præter implicantiæ quæ oriretur ex eo quod esset infinitus, nulla alia peculiaris potest assignari in æternitate motus; ergo si non implicet infinitum actu, non implicabit talis motus, & consequenter dari potest dependentia absoluta.

Confirmatur primo, quia nulla afferri potest hic implicantiæ, quæ habeat maiorem apparentiam, quam implicantiæ quæ afferuntur contra infinitum: ergo si his non obstantibus tenetur dari posse infinitum categorematicum, etiam dari poterit motus æternus. Fateor tamen, si darentur tam apparentes implicantiæ particulares contra æternitatem motus à parte ante, quales dantur contra infinitum actuale, & ille implicantiæ non haberent connexionem cum implicantiis infiniti; quemadmodum ob illas implicantiæ, & rationes probantes possibilitatem infiniti, incertum videtur an posset dari infinitum; ita etiam ob has implicantiæ, & rationes probantes possibilitatem motus successiui, incertum similiter debet iudicari, an possit dari motus æternus à parte ante. Vnde absolute censeo, si consideremus motum æternum à parte ante secundum rationem suam particularem, quatenus non habet connexionem cum infinito, incertum esse omnino possit dari nec ne, quia reuera rationes vtriusque partis sunt meo iudicio insolubiles, si bene considerentur.

Confirmatur secundo conclusio: quia rationes fere omnes, quæ adducuntur contra æternitatem motus à parte ante, militant aduersus æternitatem motus à parte post, & aduersus infinitas partes motus, quas Deus videt actu potuisse præcedere motum hodiernum: sed æternitas motus à parte post est sine dubio possibilis, & Deus videt posse præcedere infinitos motus motum hodiernum: ergo non obstantibus illis rationibus debet admitti possibilitas æterni motus à parte ante.

Probatur tertia pars, quæ est omnium: quia motus quicumque finitus habet principium ante quod posset esse alias motus, & alia res, non solum anterioritate natura, sed durationis, alias esset infinitus à parte ante.

52. Vt soluantur obiectiones contra secundam partem conclusionis, & illa ipsa secunda pars intelligatur melius, aduertendum est nos posse imaginari rem aliquam posse esse ab æterno duobus modis.

Primo secundum se, & omnes suas partes ita, vt quilibet pars ipsius sit ab æterno, aut aliqua pars secundum se totam; & in hoc sensu manifeste implicat motum aut aliquid successiuum posse esse ab æterno, quia omnis motus, & omne successiuum, quæ tale essentialiter inuoluit prius, & posterius, & posterius debet præsupponere existentiam prioris; vnde ipsum posterius nequit esse ab æterno, nec consequenter totum, in quo inuoluitur, potest esse ab æterno, quoad omnes suas partes, quia nequit esse sic, quoad partem posteriorem: sed neque potest etiam esse ab æterno, quoad partem priorē, quia illa pars prior etiam est quid successiuum, vt suppono, & consequenter includens partes priores, & posteriores, & ita in infinitum producendo, numquam poterit eo deueniri, vt possit assignari, etiam ab ipso Deo, aliqua

Incerta est possibilitas motus æterni.

Motus finitus sequitur esse ab æterno.

Quomodo motus possit esse ab æterno.

aliqua pars successiui, quæ possit esse secundum se totam ab æterno in hoc sensu: unde hic sensus non potest esse sensus conclusionis, nec in controuersia apud Doctores.

Alio modo possumus imaginari rem aliquam esse ab æterno, quæ & ita se habeat, ut æternitas non possit coexistere vlli temporis imaginario aut reali, cui illa res secundum aliquid sui non coexistat, quamuis non coexistat ipsi secundum se totam; & ita etiam, ut nunquam possit assignari, quænam sit prima pars determinata ac finita eius, ante quam non præcessit alia pars: & in hoc sensu est controuersia, in quid successiuum possit esse ab æterno; & pars affirmatiua proponitur in conclusione.

Obiicit primo. Illo, quod est æternum, nihil est prius: sed quacumque parte temporis vel motus aliquid est prius: ergo nec tempus, nec motus potest esse æternus.

Confirmatur: quia quod est æternum, debet manere idem in tota æternitate: successiuum non potest sic manere: ergo.

Confirmatur secundo. En si successiuum debet incipere per vltimum sui non esse: sed quod est ab æterno, nequit sic incipere; quia alias non esse ipsius præcederet ipsum positiue, quod implicat.

Respondetur distinguendo consequens: quoad vllam partem, quæ datur aliquid prius, concedo consequentiam; in hoc enim sensu tantum sequitur consequens ex præmissis; quoad vllam partem, quæ non datur aliquid prius, ut est pars infinita, aut quoad se totum in sensu supra explicato, nego consequentiam; nec consequens in eo sensu sequitur ex præmissis illis in forma, in hoc enim sensu si intelligeretur consequens, syllogismus totus constaret quatuor terminis, ut patet.

Confirmatur hæc responsio: sicut illo, quod est æternum à parte ante, nihil est prius, ita illo, quod est æternum à parte post, nihil est posterius: sed quacumque parte temporis à parte post datur aliquid posterius; & tamen hoc non obstante tempus potest esse æternum à parte post; ergo quamuis quacumque parte temporis à parte ante potest dari aliquid prius, adhuc potest esse æternum à parte ante.

Ad primam confirmationem distinguo maiorem: si sit permanens, transeat, si successiuum, nega ut, & concede minori, nego consequentiam.

Respondetur etiam potest aliter distinguendo maiorem alio modo: eo modo quo est æternum, concedo; alio modo, nego maiorem: similiter distinguo minorem: non manet idem eo modo, quo est in æternitate, id est, successiuo modo, nego minorem; alio modo, id est, permanenti, concedo minorem, & nego consequentiam.

Confirmatur hæc responsio: quia non magis, quod est æternum à parte ante, debet manere idem tota æternitate, quam quod est sic à parte post; sed id, quod est æternum à parte post, potest esse successiuum hoc non obstante; ergo & quod est à parte ante æternum, similiter potest esse successiuum.

Ad secundam confirmationem respondeo distinguendo maiorem: quando producit in tempore, aut vere potest dici de ipso, incipit, hoc est quando potest dici de ipso nunc est & immediate ante non fuit, aut nunc non est, & immediate post erit, concedo maiorem; quando id nequit dici, ut cum producit ab æterno, nego maiorem, & concede minori, nego consequentiam.

Obiicit secundo. Si aliquis motus posset esse ab æterno, maximè motus circularis cæli: sed hic non potest esse nullus.

Probatur minor: tum quia ipsum cælum deberet esse prius suo motu, & quid in duratione, quia cælum producit in instanti, motus autem in tempore, tum etiam quia sequeretur, quod Sol esset semper, & non esset in nostro hæmisphærio: esset quidem, quia ab æterno esset productus in aliquo hæmisphærio, & non esset maior ratio, cur in alio quam in nostro: non esset autem, quia moueretur ab æterno ab vno ad alterum hæmisphærium.

Respondetur negando minorem: ad cuius primam

probationem dico, cælum productum ab æterno non esse prius motu æterno ipsius alio modo quam natura, nec quando producit ab æterno, producit actione instantanea, quia quod producit tali actione habet solum vi actionis sue coexistere instanti: sed actio, quæ cælum producit ab æterno, est actio à qua habet cælum posse coexistere temporis infinito, si daretur per possibile aut impossibile. Ad secundam probationem minoris dico, quod si Sol cum suo motu produceretur ab æterno, deberet esse ab æterno successiue in vtroque hæmisphærio, ita ut non posset vnquam assignari instans aut tempus quo ita esset in vno, quin antecederet fuerit in altero. Et sicut non potest assignari hæmisphærium, in quo vltimo finietur motus cæli æternus à parte post, quia motus ille nunquam finietur; ita nec potest assignari hæmisphærium in quo incepit esse Sol motus ab æterno, quia talis motus non habet principium, nec vnquam incepit.

56 Dices: Sol debebat produci actione aliqua determinata, & in loco consequenter determinato: ergo vel in nostro, vel altero hæmisphærio determinate debebat produci.

Respondetur distinguendo antecedens: actione determinata instantanea, quæ non esset nec virtualiter nec formaliter successiua, nego antecedens: quæ esset vel virtualiter vel formaliter successiua, concedo antecedens, & nego consequentiam. Quandoquidem enim illa actio, quæ produceretur Sol esset virtualiter successiua & æterna, ac infinita, non deberet determinate producere cælum in hoc aut illo hæmisphærio, sed in vtroque successiue absque principio successiouis, sicut actio, quæ conseruabitur, & mouebitur cælum in æternum à parte post, non debet determinate ponere cælum in alterutro hæmisphærio, sed in vtroque successiue in infinitum absque fine.

Confirmatur hoc: quia Deus videt de facto omnes circulationes Solis, quæ possunt haberi ante circulationem hodiernam, alias cognitio alienius possibilis lateret Deum, & sic non esset omniscius: tunc sic. Vel videt primam circulationem, vel non videt: si videt, ergo ante illam primam non est possibilis alia circulatio, quod videtur absurdum; cum enim sit eiusdem rationis cum reliquis, non potius deberet esse prima quàm reliquæ; nec potius deberet non posse presupponere aliam, quam reliquæ. Si non videt, ergo non datur prima circulatio, & huius ratio est, quia sunt infinitæ: sed qua ratione non datur prima circulatio, non potest ostendi in quo primum hæmisphærio sit productus Sol, qui est motus motu infinito, quia alias posset assignari prima pars aut initium istius motus, quod æque implicat ac assignare primam circulationem ex infinitis circulationibus à parte ante, aut primum hominem possibilem ex infinitis hominibus.

57 Confirmatur secundo, quia Deus ipse non videt in quo primum hæmisphærio sit producibilis Sol ita, ut non possit prius produci in alio hæmisphærio, quia ratio non est à parte re in vilo hæmisphærio sic producibilis; ergo quamuis de facto daretur motus æternus cæli à parte ante, non deberet videre in quo primum hæmisphærio productus sit Sol, quia reuera in motu æterno non datur prima pars determinata, sicut in motu finito non potest assignari prima pars, quia alia pars non sit prior, licet in eo possit assignari aliqua pars, quia alia pars tanta aut maior non sit prior, & in hoc differat à motu infinito, cuius nec prima pars determinata potest assignari, quin alia pars id determinata tanta, ac etiam maior assignari possit, quæ sit illa prior.

Ceteræ difficultates, quæ contra hanc conclusionem opponi possunt, sunt ille, quæ proponi solent contra infinitum in actu, vel habent connexionem cum illis; unde hic omittendæ sunt, & earum solutio ex dictis in disputatione de Infinito est petenda; ut omittam, quod non faciant contra hanc partem conclusionis, quandoquidem eam non tenemus nisi ex suppositione, quod possit dari infinitum actu, & quod consequenter possint rationes omnes, quæ contra tale infinitum adducuntur, solui.

CONCLUSIO III.

58 Si possunt fieri ab aeterno alia generationes & corruptiones prater generationes hominum, etiam possunt esse generationes hominum ab aeterno. Hec est directe contra Complutenses, disp. 29. qu. 5. n. 70. plures alios Thomistas proferentes, quos propterea merito Ioannes à S. Thoma, negat consequenter procedere qu. 24. a. 2.

Probatur manifeste, quia est eadem prorsus ratio de humanis generationibus, ac reliquis: ergo si reliquæ possunt esse ab aeterno, humanæ etiam poterunt.

Dices cum Complutensibus: si generationes hominum essent ab aeterno, quandoquidem naturaliter loquendo animæ semel productæ semper deberent existere, de facto darentur infinitæ animæ actu existentes, 'ed hoc est impossibile: si darentur infinitæ generationes aliarum rerum, non deberent formæ earum simul manere, sed ad introductionem vnius aliæ desinerent, & consequenter non sequeretur dari infinitum actu, n. c. aliquid aliud impossibile: ergo est tanta disparitas inter has generationes, ut quævis possibiles sint aliæ, non sint possibiles humanæ.

59 Verum contra hanc replicam facit, quod perinde prorsus implicat dari actu simul infinitas categorematicas animas, ac productas fuisse infinitas categorematicas formas, quamvis simul omnes non existerent: illa enim similitudo existentia nihil prorsus facit ad rem, & omnes contradictiones, quæ opponi possunt contra infinitas animas actu simul existentes currunt quatuor, ut aiunt pedibus contra infinitas animas aut formas, quæ omnes productæ sunt, licet non simul existant; unde vel utrumque, vel neutrum repugnat.

Confirmatur hoc: quidquid est de facto productum à Deo, & secundum se conservabile in perpetuum, potest conservari ab ipso, non obstante productione cuiusque alterius vel quorumcumque aliorum, cum quibus non habet ex ratione sua formali incompatibilitatem in existendo: sed nulla forma ex infinitis, quæ productæ sunt, habet incompatibilitatem in existendo cum aliis formis, nisi in ordine ad idem subiectum; & quælibet ex illis est secundum se conservabilis in perpetuum: ergo omnes quotquot sunt productæ, possent simul conservari à Deo extra sua subiecta, atque consequenter si de facto infinite essent productæ successivæ usque ad diem hodiernum, possent omnes simul hodierna die conservari: sed non libet immorari in re clarissima.

CONCLUSIO IV.

60 Generationes omnes substantiales tam humanæ, quam aliarum rerum possunt esse successivæ ab aeterno. Hec est Complutensium supra quoad reliquas excepta humana, & authorum ab ipsis citatorum, contra omnes illos, qui negant successivæ esse posse ab aeterno, & etiam contra Arriagam, qui quamvis concedat durationem successivam ab aeterno, negat tamen expresse vllas generationes substantiales successivas esse ab aeterno.

Probatur conclusio: quia si repugnaret huiusmodi generationes esse æternas, repugnaret vllum successivum esse ab aeterno: hoc est falsum, ut patet ex conclusione secunda: ergo & illud, unde sequitur, & consequenter vera conclusio: quia si non repugnat generationes successivas esse ab aeterno, poterunt sine dubio esse ab aeterno.

Probatur minor: quia implicantiæ omnes, quæ adduci possunt contra æternitatem harum generationum, possunt applicari æqualiter contra æternitatem vllius successivæ: ergo repugnat æque utrumque æternitas.

Probatur antecedens: quia omnes implicantiæ formaliter reducuntur, vel ad hoc quod sit contra rationem includentis prius & posterius esse ab aeterno, vel quod ex æternitate generationum sequeretur processus in infinitum: sed ex utroque hoc capite repugnaret quod vllum successivum esset ab aeterno, si in vlllo ex illis esset repugnantia, ut patet, ergo.

Confirmatur specialiter soluendo rationes implicantiæ, quæ particulariter solent opponi contra hanc conclusionem.

61 Obijciat ex Arriaga: in serie eorum hominum, qui

essent producti per generationes successivas, deberet tandem deveniri ad aliquem, qui produceretur à solo Deo: vel ergo inter generationem illius & generationem alterius hominis ab illo factam intercessit finitum, vel in finitum tempus: si infinitum tempus, ergo alia generatio non fuit æterna nec vlla ad illam sequens, & consequenter successio generationum non est æterna, quod est intentum: si finitum, ergo nec secunda generatio fuit æterna, nec prima etiam, quæ enim non præsupponit nisi infinitum tempus non fuit æterna, nec etiam illa, quæ non antecedit aliam nisi finito tempore, potuit durasse ab aeterno.

Respondetur negando posse assignari ab ipso Deo, quisnam sit primus homo qui esset productus à solo Deo ex suppositione, quod essent infiniti homines successivè producti, quia repugnat in infinito successivo dari primum, quod ante cetera omnia existeret saltem anterioritate temporis, aut durationis: & per hoc corrumpit tota argumenti huius vis.

Confirmatur hac responsio: quia qua ratione Deus deberet videre primum hominem, qui esset productus ex infinitis successivè productis, deberet etiam videre ultimum hominem ex infinitis, qui successivè sint producendi, eadem enim prorsus est ratio: ergo cum hoc videre non possit propter infinitum numerum eorum, qui sunt producendi, nec illud etiam poterit videre.

Confirmatur secundo: ex infinitis durationibus successivis, quibus res ab aeterno producta deberet durare in sententia Arriagæ, aliqua vna debebat esse ceteris prior, omnes enim illæ durationes nullam aliam præsupponunt, & nullæ duæ simul producuntur, quia alias non essent successivæ: ergo posset Deus illam videre, & consequenter illa sola esset æterna, non autem ceteræ posteriores.

62 Ad hoc argumentum non potest responderi, nisi negando dari primam durationem assignabilem, & hoc ob infinitatem, & successionem illarum durationum: ergo ob infinitatem, & successionem hominum nequit assignari primus homo in tota illa collectione infinitorum hominum qui successivè producerentur.

Respondetur posset secundo, quamvis ex substantiis aliqua determinata posset assignari, quæ à Domino Deo solo crearetur, illam tamen, verbi gratia, hominem non posse dici antecedere vllam generationem alterius hominis determinatam, antequam non darentur infinitæ generationes aliorum hominum, & consequenter licet antecederet quamcumque determinatam generationem, non tamen omnes, sic, ut posset assignari aliquod instans temporis veri aut imaginarij, in quo existeret ille homo, quin antecederet existerent infinitæ generationes. Utraque quidè hæc responsio difficilis est, sed non difficilior tamen quam aliæ multæ responsiones, quæ dantur ad obiectiones contra infinitum actuales: unde sicut tenet Arriaga infinitum illud non obstantibus illis difficultatibus, deberet etiam hanc conclusionem tenere non obstante difficultate huius obiectionis.

63 Obijciat secundo, non datur processus in infinitum in causis efficientibus, alias non probaretur ex motibus, & efficientia existentia Dei: sed si darentur infinitæ generationes, daretur huiusmodi processus, cum vna præsupponeret causam efficientem alterius, & illa alterius, ac ita in infinitum: ergo.

Respondetur distinguendo maiorem: in causis efficientibus essentialiter subordinatis, transeat; accidentaliter tantum subordinatis, nego, & concessa minori, nego consequentiam.

Quod si quæras, quamnam sint causæ essentialiter sub-

ordinate, & quæ accidentaliter. Respondetur causas essentialiter subordinatas esse illas, quæ sunt talis naturæ, ut subordinata nequeat producere effectum non concurrente subordinante actualiter; accidentali-ter vero subordinatæ sunt illæ, quarum vna quidem alteram præsupponit, sed non dependet tamen ab actuali cōcursu ipsius in sua actione, sed potest agere ea destructa: primo modo se habet creatura & Deus, secundo modo se habent pater, & avus respectu filij à patre immediate precedentis.

Genera-
tiones
omnes
substan-
tiales
possunt
esse suc-
cessivæ
ab æter-
no.

Genera-
tiones
hominu-
tam pos-
sunt esse
ab æter-
no quam
alia ge-
neratio-
nes.

Replicat
Complu-
tenses.

Si quæras iterum, cur non possit dari processus in infinitum in causis essentialiter subordinatis, possit vero in accidentaliter.

Cur nequeat dari processus in infinitum in causis essentialiter subordinatis, ut patet.

Respondeo pro nunc breuiter rationem esse, quod absurdum videtur effectum finitum debere indigere per se concursu actuali infinitarum causarum, præsertim cum vna ex ipsis, nempe Deus sit infinita actiuitatis: sed si posset dari processus in infinitum in causis essentialiter subordinatis hoc deberet fieri: ergo non debet dari talis processus. Quamuis autem daretur processus in infinitum in causis accidentaliter subordinatis, quilibet effectus particularis posset produci independentè à concursu omnium istarum causarum, ut patet.

Q V Æ S T I O V L T I M A.

Vtrum Mundus sit in æternum duraturus ex natura sua.

64 **C**ertum est mundum non esse, nec ex natura sua, nec ex alio capite duraturum quoad omnia indiuidua in ipso contenta; plurima enim quotidie naturalissima pereunt; nec etiam quoad omnes species sic, quin absque miraculo villo integrè species posset destrui, nullo relicto indiuiduo, ut si homines omnes concurrere vellent ad speciem equinam, aut bouinam, aut etiam ipsam humanam delendam. Nec minus certum est, mundum non esse ita ex natura sua semper duraturum, quin Deus possit ipsum libere destruere, ac in nihilum redigere, sicut ex nihilo ipsum libere fabricauit. Sed quaeritur, an ex natura sua ita exigat perpetuo conservari, ut non possit perire actione vlla causarum naturalium, aut defectu virtutis aliquius, quæ ad eius conservationem esset necessaria, & etiã, an exigat connaturaliter influxum conseruationis Dei, sic ut miraculum esset cessandum, si Deus noller illum cõseruare præstare, quemadmodum miraculum esset si non conseruaret semper Angelos, ac animas rationales semel productas.

C O N C L V S I O. I.

65 **Mundus non potest naturaliter perire, nec quoad celestia corpora, nec quoad sublunaria sic quin debeat naturaliter tota hac sublunaris pars esse plena corporibus: nec etiam potest naturaliter loquendo immutari principium partium eius, verbi gratia, Elementorum, ordo ille, quem de facto habent, atque adeo ex natura sua est in æternum duraturus in hoc sensu, & exigit connaturaliter influxum conseruationis Dei, & non nisi miraculose interire potest. Hæc est communis cū Philosopho contra quosdam antiquos, quibus fauere videtur Plato in Tymæo.**

Probatur manifeste: quia quantum ad corpora celestia, animas rationales, & materiam primam, illa non dependunt ab vlla causa creata in fieri, aut conservari, nec possunt destrui per actionem aliquam positiuam, sed solum per subtractionem influxus, quo conseruaretur à causa prima, quem concursus æque connaturaliter petunt ex natura sua pro omni tempore futuro in æternum ac pro tempore præterito aut præterito; est enim eadem ratio, ut patet: ergo quoad hæc non potest naturaliter perire mundus.

Rursus materia prima naturaliter nequit esse absque aliqua forma, & proinde quoties desinit vnum indiuiduum, debet produci necessario aliud: ergo fieri nequit quin pars sublunaris mundi sit repleta corporibus, sicut de facto est.

Præterea non potest quis imaginari, qua ratione inuerti posset naturaliter ordo, quem de facto habent partes principales mundi, ita scilicet ut terra non sit sub aqua, hæc sub aëre, aër sub igne, ignis sub Cælo Lunæ (si tamen ille sit locus naturalis ignis) & orbes celestes eo loco, quo modò sunt.

66 **Obiicit:** Deus ideo non habet finem in essendo, quia non habet initium; ergo quod habet initium suæ existentia, debet habere finem existendi, naturaliter loquendo.

Confirmatur: quia quod non habet finem existendi naturaliter, debet habere virtutem conseruationis finitam talem non habet mundus: ergo debet naturaliter aliquando desinere.

Respondeo primo, negando consequentiam, quia quantumvis Deus ex eadem necessitate essendi, ex qua habet carere principio, habeat etiam carere fine, tamen alia res possunt carere fine connaturaliter ex suppositione, quod sint semel productæ, quamvis habeant principium existentia suæ.

Rursus quamvis Deus ex eo quod careat principio, debeat carere fine; tamen ex alio etiam capite potest carere fine, nempe ex eo, quod non sint causa quæ possint connaturaliter ipsum destruere; unde quia non sunt causa naturaliter destructiua mundi, non debet habere finem, quamvis habeat principium. & iuxta hoc.

Responderi potest secundo, distinguendo antecedens: ideo solum, nego antecedens; ideo, sed non solum, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia illud quod habet principium potest habere alias causas, ob quas non debet desinere, aut habere finem.

Ad confirmationem respondeo negando antecedens primo quia sufficeret illa virtus in causa conseruationis; illud autem ipsum, quod non habet finem, non debet habere virtutem conseruationis sui ipsius; secundo, quia ad conseruandum aliquid in perpetuum non requiritur virtus infinita: virtus enim quæ sufficeret ad conseruandum hodie sufficeret ad conseruandum semper, si ipsamet ab illo conseruaretur, aut à se ipsa, nisi aduenirent impedimenta ab ipsa insuperabilia: non esset autem necesse, ut quauis mundus duraret in æternum, aduenirent impedimenta sue durationis.

67 **Obiicit secundo:** principium interitus est compositio ex contrariis; mundus componitur ex contrariis; ergo naturaliter petit interire.

Confirmatur: quia virtus generatiua paulatim debilitatur; ergo successu temporis eo imbecillitatis deueniret, ut non posset amplius generare, & sic deficerent generationes, & consequenter cum vetera indiuidua nequeant semper durare, perire debet mundus.

Confirmatur secundo: quia ab ipso initio mundi hucusque notabiliter minuta est virtus hominum, complexio, ac statura; vix enim pauci pertingunt ad centum annos, & nullus est giganteæ stature, cum in initio mundi viuerent ad plusquam Nestoreos, ut aiunt, annos, & essent maximæ stature.

Respondeo, distinguendo maiorem: compositio ex contrariis est principium interitus sic, ut loco rei intereuntis non succedat alia res, nego maiorem: sic ut succedat, concedo maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: petit interire quoad partes aliquas, quibus tamē succedere debent alia partes, concedo consequentiam; sic ut non debeant alia partes succedere, nego consequentiam.

Respondeo secundo, distinguendo maiorem alio modo, compositio ex contrariis est principium interitus rei quoad illa ipsa, quæ sunt contraria, quando applicantur sufficienter, concedo maiorem; quoad alia, quæ non sunt contraria, aut quoad ipsa contraria, quamdiu non applicentur sufficienter ad destructionem mutuum sui, nego maiorem; & concessa maiori, distinguo consequens: quoad contraria sufficienter sibi inuicè applicata, transeat consequentia; quoad non contraria, aut contraria non applicata sufficienter, nego consequentiam.

68 **Ad confirmationem primam respondeo,** si virtus generatiua, quæ est in mundo, eousque debilitanda esset aliquando, ut non possint fieri generationes vltiores, tum mundum permanens in eodem statu in quo tum erit, nec desinet vetera indiuidua, quia desinere nequeunt naturaliter, nisi per corruptionem: corruptio autem nequit esse absque generatione iuxta commune axioma *corruptio vnius est generatio alterius.*

Addit, licet virtus generatiua in aliquibus speciebus fortassis deficiat, ut in heterogeneis viuientibus, ut in Cælis, ac elementis; quis dubitet enim quin ignis hodiernus sit tam potens ad comburendum, quam qui fuit tempore Adami? Deind nec in viuientibus etiam debilitatur sic quin vnum indiuiduum ab alio productum possit esse tam potens, aut potentius ad generandum, quam causa

Mundus
nequit
naturaliter
perire.

causa à qua producebatur ob dispositionem accidentalem meliorem.

Ad confirmationem secundam, quamvis daremus hinc sequi speciem humanam aliquando perire debere naturaliter, hoc tamen non præiudicaturum conclusioni, ut patet ex dictis in principio huius questionis.

69 Respondeo secundo, virtutem hominum non perire cum proportionem vlla ad decursum sæculi ita, quin eadem posset in æternum manere, sicut modo manet, nam certe alias deberet esse notabilis differentia inter ætatem hominum hac ætate, ac ætate Prophetæ David; quod falsum tamen esse constat ex ipsomet Propheta Plalm. 89. *Si in potentibus octoginta anni & amplius eorum, labor, & dolor*: quibus verbis innuit vitam hominum suo tempore solitam non pertigisse communiter ultra octoginta annos, quo etiam nunc peringere solet.

Quod autem in initio sæculi diutius vixerint homines, & maioris fuerint statura, attribuendum est, vel particulari providentiæ Dei volentis eos tam diu conservare ad propagationem generis humani, vel certe provenit ex eo, quod cum perfectius calluerint homines Medicina, ac Astrologiam, quam postea aut modo; & quod modus vivendi illius temporis erat accommodatior ad vitæ conservationem, ac staturam grandiorum communicandam, quam temporum sequentium, quibus homines tam diu non vivebant.

CONCLUSIO II.

70 Mundus in æternum durabit. Hac est communis Theologorum, ac Philosophorum cum *S. August. 20. Civitat. cap. 14. Gregor. lib. 17. moral. cap. 1. & alis Patribus.*

Probatur primo ex Scriptura Eccl. 1. *Terra autem in æternum stat*: & Psal. 148. *Ipsè dixit & facta sunt, statuit ea in æternum & in sæculum sæculi.*

Confirmatur: quia Beati erunt semper in Cælo, & damnati in Inferno; ergo erit semper Cælum & Infernus.

Probatur ratione: quia ex dictis mundus exigit ex natura sua conservari in æternum adeo, ut miraculum esse, quod sic non conservaretur: ergo cum non constet quod Deus sit factururus tale miraculum debet potius censeri, quod sit conservandus, iuxta exigentiam connaturalem suæ naturæ.

Dicitur mundus factus esse propter homines, sed post diem Iudicii non potest esse hominibus vsui: ergo debet tunc cessare, quia conservatio eius esset inutilis.

Confirmatur hac ratione secundum Thomistas communiter post diem Iudicii cessabit motus cælorum, & desinet mixta omnia: ergo similiter debent cessare cetera corpora mundi, saltem præter Cælum Empyreum, ac Infernum & sic non conservabitur mundus, quoad plenitudinem illam creaturarum, quam de facto habet.

Respondetur, distinguendo antecedens: propter homines solummodo, nego: propter homines & alios fines, qui possunt manere post diem Iudicii, nimirum ad ostensionem bonitatis, ac potentie diuinæ, concedo antecedens, & nego consequentiam.

71 Ad confirmationem respondeo, meo iudicio eadem ratione, qua cessare deberet motus cælorum, ac mixta, reliqua etiam corpora præter Cælum Empyreum, ac Infernum, cessare debere à paritate rationis; nec ideo ad quid magis ferirent alia corpora, quam motus ille cælorum ac mixta, unde puto non debere cessare illos motus, aut mixta, quorum productio, & conservatio potest habere alios fines, præter utilitatem particularem hominum.

Nec refert, quod dicatur Isaia 60. *Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur.* Et quod Apocal. 10. *Angelus inret per viventem in sæcula sæculorum non futurum amplius tempus.* Ex quibus locis pro certo colligunt *Complutenses* cessaturum Cæli motum post diem Iudicii. Non inquam refert hoc, quia ad primum locum respondetur facile, non debere ipsum vlla ratione intelligi de Sole materiali, quasi hic non deberet in hoc mundo cadere & oriri sed sensum esse, quod Beatis in Cælo non

cader Sol, nec minuetur Luna, quia in Cælo Empyreum non erunt Sol & Luna, sed ipse Dominus, ut in eodem loco dicitur, *erit illis in lucem perpetuam*, ut propterea non indigere possint alia luce Solis, aut Lune.

Confirmatur hoc efficaciter: quia sicut dicitur in eo capite, non casurum Solem, dicitur non futurum Solem ad lucendum; sed ipsimet *Complutenses* asserunt post diem Iudicii futurum Solem & Lunam, & quidem multo lucidiores, quam modo sunt: ergo non fit mentio in illo capite de Sole, quantum ad non lucendum, nec consequenter quantum ad non cadendum in hoc mundo.

Confirmatur secundo: quia non dicit Scriptura, quod non cadet Sol mundo, sed quod non cadet hominibus: Sed hoc esset verum, quamvis caderet mundo, quia homines non essent in hoc mundo inferiori quibus caderet, saltem illi homines, de quibus loquitur Scriptura, nempe homines iusti ac beati non erunt in hoc mundo, ubi cadere posset ipsis Sol, aut Luna minui: ergo ille locus non facit ad propositum.

72 Confirmatur tertio: quia ratio, quam affert Scriptura cur non debeat cadere Sol aut Luna minui, est quod ipse Dominus erit in lucem perpetuam: sed hæc ratio non sufficit ut non cadat Sol, aut minuiatur Luna in hoc mundo inferiori; nam ibi Dominus Deus sine dubio non lucebit post diem Iudicii; ergo non loquitur Scriptura de casu Solis quantum ad hunc mundum inferiorem, & sublunarem: quod sane mihi certissimum est.

Quantum ad secundum locum *Respondeo* cum *Alcasar* in vltimo ipsius capite, sensum esse non quod non erit tempus concomitans motum Cæli, sed quod non erit tempus amplius penitentie, postquam obduratum erit cor Iudeorum ac aliorum peccatorum sic, ut Deus amplius nolit ipsis dare gratiam ad convertendum se ipsos. Et sane cessatio motus Cæli ac temporis ipsum comitantis post diem Iudicii, si contingeret, non esset res tanti momenti, ut Angelus ad illud inculcandum deberet adhibere iuramentum tam solemne. Sed non est Philosophici instituti in explicatione Scripturæ diutius inherere.

73 Obiici præterea possunt aliqua loca Patrum, quibus significatur destructio mundi post diem Iudicii, saltem quoad Cælum, & stellas.

Respondetur primo, ex illis locis solum haberi ad summum quod sint destruendi hi Cæli, qui modo sunt, sed non habetur quin alij Cæli sint successuri, imo habetur quod sint: sed hoc sufficit ad conclusionem, quia sufficit ad eius veritatem quod nunquam sit futurum aliquod tempus aut instans, in quo non sit mundus quoad Cælum, & Elementa, siue idem numero Cælum sit futurum semper, siue diversum: quod si diversum physice Cælum sit futurum aliquando, adhuc mundus semper erit idem moraliter, sicut fluvius dicitur semper idem, licet non semper habeat eadem partes physice.

Respondetur potest secundo cum communi sententia Sanctos Patres solum velle quod Cælum, & Terra perirent post diem Iudicii tantopere, ut merito videri possint Cælum novum, & Terra nova; lux enim Luna superponitur futura sicut lux Solis, & lux Solis erit septemplex maior, quam modo est, ut innui videtur *Isaia 3.* si tamen iste locus debet intelligi in hoc sensu literaliter, de quo modo nolo discurre: Deique Elementa purgata omnibus sordibus, quibus modo abundant, in sua naturali ac perfectissima dispositione relinquentur. At hoc ipsum confirmat quod paulo ante dixi: si enim augenda sit perfectio mundi post diem Iudicii, quamvis tum illa maior perfectio non sit cessura in beneficium hominum, cur non deberet etiam durare motus Cæli, & esse conservatio mixtorum? Deinde cur lux Solis deberet ad vnam partem terræ pertingere, altera eo beneficio priuata: aut quomodo possit natura aliter absque miraculo conservari perfectio Elementorum, Sole semper remanente in eodem situ? Si vero queratur mundus debeat esse perfectioris status, postquam a suis habitari ab hominibus quam ante: non facile erit assignare rationem, nisi recurrendo ad liberam Dei voluntatem: quod tamen huc non spectat.

Mundus
in æter-
num du-
rabit.

Motus
Cælorum
non de-
bet ces-
sare un-
quam.

Solum-
tur loca
Scriptu-
re.